



**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

5. Ejusdem relatio Illustrium scientia, virtute, pietate & scriptis virorum,  
qui vel Westfali fuere, vel in Westfalia olim vixere, vel indè oriundi, aliis in  
regionibus claruerunt, præsertim viri ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

ILLUSTRIVM SCIENTIA, VIRTUTE,  
PIETATE & SCRIPTIS

# V I R O R U M,

<sup>qui</sup>  
Vel Westphali fuere, vel in Westphalia  
ante nostra tempora vixere,

*Liber primus,*

Qui est ex Catalogo

70 ANNIS TRITENHEMII

*collectus per*

HERMANNUM HAMELMANNUM,

Licentiatum Theologum.

---

*Quo fruatur Lector, donec & reliquos dederimus; interim ab omnibus studiosis, & doctis & piis Westphalis & Westphalia patria nostra amanti bus reverenter oro, ut me in hoc opere juvent, quantum possint, quò certum possumus doctorum Westphalia virorum dare aliquando Catalogum.*

LEMGOVIÆ ANNO MDLXIII.

Reverendis & Spectatis Viris  
D. PATROCULO MEYRINGIO, Abbati, &  
D. JOANNI WILDKINDO, Cellario Cænobii Iburgici  
in ditione Osnaburgensi, &c.

**R**everendi Viri, certum est Cænobia olim Scholas fuisse & Phrontisteria, sive talia sedalitia, in quibus à pueritia multi piè instituebantur, qui deinde digni & probati postea ex talibus studiis ad gubernationem Ecclesiarum vocabantur. Tale fuisse Monasterium D. Martini scribit Severus Sulpitius: Nam potissima suo tempore Ecclesia in diversis locis petebant ex ejus collegio hujusmodi Symmistas, hoc est, Praesides vel Sacerdotes. Et quid opus est ad remotas Ecclesias recurrere? Admanum est vestri ordinis Monasterium CORBIENSE in vicinia nostra, ubi & splendida olim fuit Bibliotheca, & multi viri docti in eodem vixerunt Musæo, qui plurimum scribendo, docendo, legendo & discendo profecerunt, ut ex hoc opusculo videri licet. Hinc etiam factum est pro more antiquioris Ecclesie, ut ex isto Cænobio Corbini multi Episcopi & Presbyteri ad diversas Ecclesiarum gubernationes & administrationes sint vocati, teste Krantio in Metropoli libro 3. capite 1. Quid? nonne ipse etiam Benedictus vester pater & praeceptor tale Monasterium habuit? Nam postquam in Galliam mitteret Maurum discipulum suum, ut ibi talia Monasteria institueret, opera Flori, primarii apud regem Principis, extruxit ipse Maurus Cænobium prope urbem Aureliensem, ubi cum aliis quibusdam doctoribus multos nobilium filios pietatis studiis imbuit. Sic quoque legitur apud historicum Ecclesie Evagrium libro 3. capite 31. quòd Severus, qui postea hereticus est factus, in monasterio quodam Gazæ cum Episcopo ejus loci, sacris studiis plurimum sibi laudis & fama pepererit: nec opinor etiam aliud spectasse vestri Cænobii fundatorem Episcopum Bennonem 2. qui & ipse in talibus antea Musæis Hildesie versatus erat. Dolendum igitur est, quòd verus usus ita nunc in abusum degeneraverit: Et non dubito, quin etiam vos cuperent, vestra pietate verum usum Cænobii restitutum esse.

Cum autem plerique viri docti, qui hoc in opusculo habentur, vestri fuerint ordinis, & ipse autor Tritemhemius singulare ordinis vestri sit ornamentum, qui etiam alibi clare tradit, nos sola fide Christi salvari, volui hoc opusculum ad V. P. mittere: cujus rei etiam alia subest causa, prima quia Abbatem Abbati mitto, deinde quòd tecum Reverende Domine Patrocule Abbas conjunctim in Scholis, sub pio & egregie docto viro D. Wilhelmo Santphurdio, qui in Pastoratu Ecclesie Lunenburgensis nuper pie mortuus est, ante annos 26. vixerim. Tu quoque venerabilis Joannes non ignoras, quòd in duabus Scholis mecum egeris, & sis interdum à me in progressu tuorum studiorum fideliter adjutus. Hac juvabat ita repetere, & pauca de initio vestri ordinis & veteri legitimoque Monasteriorum usu dicere. Quæ boni consulat V. P. & munusculum nostrum literarium non contemnat.

HERM. HAMELMANNUS, Licent. Theol.

ILLUSTRES SCIENTIA & SCRIPTIS

VIRI,

Qui vel Westphali fuerunt, vel in Westphalia vixerunt,

& sunt à

JOANNE TRITENHEMIO,

In suo Catalogo annotati & reliquis ascripti.



Tſi, lector optime, ſint multi, qui putent TRITENHEMIUM quoties *Corbiensis Cœnobii* Monachorum & Presbyterorum mentionem faciat, non ſemper intelligere illud, quod ad ripas Wiſeræ in Saxonia vel potius Westphalia prope Hoxariam urbem ſitum eſt, ſed etiam interdum illud *Benedicti Cœnobium* quod in Galliis ſitum eſt antiquius noſtro, quoniam ab eo huic nomen indidit Ludovicus pius: itaque cenſent cordati *Tritenheimium* quoties intelligi velit noſtrum illud Westphalicum *Corbienſe* Monasterium, addere ad differentiam alterius: In Saxonia; tamen quia non addit in reliquis ubi *Corbiensis* ſimpliciter ordinis meminit iſtam diſtinctionem, In Galliis, ego in genere refero iſtos ad noſtrum illud Monasterium.

PASCHASIUS RATBERTUS Abbas *Corbiensis* ordinis ſancti *Benedicti*, vir in divinis ſcripturis valde eruditus & ſecularium literarum non ignarus, græco & latino ſermone nobiliter inſtructus, eloquio, ingenio acutus, ſermone compoſitus, *ſcripſit* metro & proſa non pauca opuſcula, de quibus ego tantum reperi ſubjecta, ad *Placidum* Abbatem noſtri ordinis opus inſigne, *De Sacramento altaris* libr. I. *Quisquis Catholicorum Vitam ſancti Adelhardi* Episcopi libr. I. In *Threnos Hieremie* libr. I. De Græco etiam nonnulla tranſtulit in latinum & alia multa compoſuit. Claruit temporibus *Caroli Groſſi* Imperatoris, Anno Domini DCCC LXXX.

WINDICHINUS *Corbiensis Cœnobii* in Saxonia *Monachus* ordinis *D. Benedicti*, natione Teutonicus, vir in divinis ſcripturis doctus & in ſecularibus eruditiffimus, ingenio promptus & clarus eloquio, metro

excellens & profa. *Scrisit* alterno stilo multa præclara opuscula. De quibus ego tantum adhuc reperi subiecta. Ab exordio Saxonum usque ad Ottonis mortem, qui fuit Imperator primus, scripsit ad Mechtildam ejus filiam.

*Historiam Saxonum* libr. III. flore virginali cum ma. *Gesta Ottonis primi* lib. I. *Passionem Teclæ virginis* lib. I. *Vitam Pauli primi heremita* lib. I. *Claruit sub Otthone Imperatore* I. Anno D CCCC L.

BERNHARDUS Monachus Corbiensis in Saxonia, ordinis sancti Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis nobiliter doctus, & in secularibus literis peritissimus, carmine excellens & profa, ingenio subtilis & disertus eloquio. *Scrisit ad Hartwinum Magdeburgensem Archiepif.* luculento quidem sermone sed amaro volumine contra Henricum quartum lib. I. & alia, quæ non vidi.

*Claruit* ejusdem Henrici Imperatoris temporibus anno Domini 1070.

RUPER TUS, Abbas Tuitiensis Cænobii juxta Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis Spiritu Sancto per visionem illustrante doctissimus, & secularium literarum non ignarus, Monachus S. Laurentii Trajectensis, propter incredibilem eruditionem suam à Frederico Coloniensi Archiepiscopo inde assumptus & in Abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus, multa præclara opuscula composuit. Ex eo siquidem tempore, quo Cænobium in juventute sua ingressus est, tantum se in scripturis sanctis exercuerat, ut nec dormiens quidem à meditandis illis videretur posse quiescere, quia lingua & labia ejus quasi legendo moverentur. De cujus opusculis ego tantum ad præsens reperi subiecta:

*Ad Cunonem*, Abbatem Sigebergensem postea Episcopum Ratisbonensem, *De victoria verbi DEI* lib. 13. Nuper cum tu hospes, *In Genesim* lib. 9. Quicumque fidei animæ, *In cantica canticorum* libri 7. Qui contra hominem, *In librum Job* lib. 10. *In libros Regum* libros 15. *De sancta Trinitate in vetus Testament.* libr. 42. *In Apocalypsim* libr. 12. Ut tu quoque venerabil. *De officii divinis* libr. 12. Ea quæ per circulum, &c. *Meditationes de Incendio Tuitiens.* libr. 3. Ecce quomodo. *In 12. Prophetas Minores* libros 30. *In Evangelium Matthæi* libr. 8. *In Evangelium Joannis* libr. 14. *Super regulam S. Benedicti* lib. 1. *Apologeticum ejusdem operis*: Lib. I. *Epistolarum* AD DIVERSOS.

Denique fertur plura scripsisse & novum ac vetus Testamentum pro majori parte in multis libris explanasse, de quibus usque in præsens nihil vidimus, præter ea quæ signavimus. *Claruit* multa sanctitate & doctrina, atque miraculis coruscans *sub Henrico 5.* Anno Domini 1124. Et sub Lothario tertio moritur, &c.

Hæc ibi: *Jam ego etiam vidi excusa aliquot ejus commentaria Colonia anno 28. in V. libros Moysis, in libros Josua & Judicum, in libros Regum & in aliquot Psalmos, Item in Evangelistas, & in quatuor majores Prophetas, & libros novem de operibus Spiritus Sancti &c.*

HUGO, Monachus Corbiensis ordinis D. Benedicti, dictus de folieto, vir in divinis scripturis veterum lectione dives & eruditus, ingenio clarus & dulcis eloquio, nec minus conversatione quam scientia venerabilis, nomen suum scriptis notificavit posteritati. *Scripsit* enim insigne volumen omnibus religiosi & Deum timentibus non tam utile quam jucundum in quatuor distinctum libellis.

*De claustrumateriali liber 1. De ordinatione claustrum.*

*De claustrum spirituali liber 1.*

*De claustrum animæ liber 1. Animæ claustrum.*

*De claustrum Paradysi liber 1. In cœlesti Hierusalem. Et quadam alia. Claruit temporibus Henrici 4. anno domini 1120.*

IOANNES de WERDENA, ordinis, ut ferunt, minorum, natione Teutonicus, vir in scripturis sanctis studiosus & eruditus, ac veterum lectione dives, atque in naturali Philosophia sufficienter doctus, ingenio excellens, sermone & scholastica simplicitate compositus, declamator sermonum popularium suo tempore celeberrimus. *Scripsit* inter cætera ingenii sui monumenta prædicatoribus verbi Dei necessaria valde opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis transmittit, E quibus extant:

*Sermones de tempore duplices lib. 2. Induamur, &c. Sermones de sanctis duplices lib. 2. Sermones etiam per Quadragesimam liber 1. Cætera vero quæ composuit ad notitiam nostram minime pervenerunt.*

HENRICUS de KOISFELDIA, natione Teutonicus, ordinis Carthusiensis, prior Domus sanctæ Mariæ prope montem Divæ Gertrudis in Hollandia, vir in divinis scripturis eruditissimus, vita & conversatione devotus, & magnæ famæ, ingenio subtilis & clarus eloquio, declamator quoque sermonum celeberrimus, *scripsit* multa præclara opuscula,

la, quorum devotis fratribus & suæ salutis amatoribus, utilis frequentatio judicatur; Ex quibus subjecta feruntur:

*In Exodum mystice* lib. I. *In Epistolam Pauli ad Rom.* lib. I. *De tribus votis substantialibus* libri 2. *Nolite diligere mundum, Contra vitium proprietatis* lib. I. *De tribus custodiis monasticis* lib. I. *De institutione Novitiorum* lib. I. *Circumcisorium mysticum* lib. I. *De sacramento altaris* lib. I. *De annunciatione dominica* lib. I. *Eulogium Pauli eremita* lib. I. *Sermones de tempore* liber I. *Sermones de sanctis* liber I. *Epistolarum ad diversos* lib. I. Et alia plura. Guilielmi Parisiensis Episcopi arduum opus de universo corpore & incorporeo seu spiritali, mira industria perlustrans; brevi compendio pulchre conclusit. *Moritur* in domo vallis Gratia prope Brugis visitationis actu salubriter occupatus, temporibus Sigismundi Imperatoris, anno domini 1410. Indictione 3. 7. Idus Julii.

NICOLAUS de SUSATO, natione Teutonicus, sacrae Theologiae Doctor celeberrimus, & tam in seculari Philosophia, quam in divinis scripturis eruditissimus, apud Lodovicum Ducem Bavariae Comitem Palatinum Rheni, in pretio habitus, & in Concilio Constantiensi ad eligendum summum Pontificem Cardinalibus ex Germanica Natione, cum cæteris adjunctus, sicut in ejusdem Concilii gestis invenitur. *Scripti* ingenii sui nonnulla præclara opuscula, quibus memoriam nominis sui posteris reliquit; E quibus feruntur: *Quaestiones Sententiarum* lib. I. *Sermones multi* lib. I. *Varia quaestiones, & alia complura.* *Claruit* in Concilio Constantiensi sub Sigismundo Imperatore, Anno Domini 1417.

HERMANNUS, Monachus in Campo Cisterciensis ordinis, in diocesi Monasteriensi, natione Teutonicus, patria Westphalus, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & tam jure Canonico quam Philosophia Aristotelica egregiè doctus, ingenio promptus & apertus eloquio, *scripsit* nonnulla exercitii sui opuscula, quibus pro defensione Basiliensis Concilii non mediocriter laboravit; E quibus reperi opusculum, quod prænotavit de vocibus definitivis in Concilio Generali lib. I. Jam sæpius iteratis, *De potestate Papa & Concilii* lib. I. *Beatus Athanasius, De Schismate* quoque liber I. *De Neutralitate:* De cæteris, etsi multa ferantur, quæ composuit, nihil ad me pervenit, *Claruit tempore* Basiliensis Concilii: Anno Domini 1440.

HENRICUS de WERLIS, natione Teutonicus, ordinis fratrum minorum, minister Provinciae Coloniensis, vir in divinis scripturis eruditus

ditus & secularis Philosophiæ non ignarus, excellens ingenio & eloquio Scholasticus, disputator acutus & declamator sermonum egregius, composuit luculenta quædam volumina, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit, e quibus extat insigne opus *Super sententias* lib. 4. *De potestate Ecclesiastica* lib. 1. *Sermones varii* liber 1. Et alia complura. *Claruit* temporibus Concilii Basiliensis & Eugenii Papæ 4. Anno domini 1490.

GODESCALCUS de MESCHEDE, natione Teutonicus, patria Westphalus, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & in seculari Philosophia egregie doctus, acer ingenio, vir præclarus, doctor sacra Theologiæ profundus, qui multis annis in *Gymnasio Erphurdiensi* eam sententiam gloriose docuit, & magnam eruditionis suæ laudem ab omnibus commeruit, scripsit & legit in eadem universitate, quædam præclara opuscula, quibus nomen suum posteris notificavit, e quibus feruntur, *Quæstiones sententiarum* libri 4. *Sermones & collationes* liber 1. *Quæstiones varia disputata* lib. 1. Et alia complura.

Hujus frater THEODORICUS de MESCHEDE, artium & medicinae Doctor, vir undecunque doctissimus, adhuc superstes Moguntia residet, qui & ipse inter alia tractatum elegantem composuit de *regimine sanitatis tempore pestilentiali*. Filium habet sub nomine *Theodoricum* appellatum, vix tria lustra ætatis implentem, cujus admirandum ingenium & singularis tum eruditio, tum eloquentia multos profectæ ætatis (Doctores etiam) longe præcellit, cujus ad me extat liber insignis de *septem artibus liberalibus*. Scripsit enim tam ad me quam ad alios penè infinitas *Epistolas* cujuscunque argumenti ornatissimas, variasque orationes Ciceronianam disertitudinem præferentes, adeo ut velut alter Adeodatus, Augustini sanctissimi quondam filius, suo ingenio & scribendi argumentandique promptitudine, ac solertia multis (doctis etiam viris) sit admirationi & stupori, &c. *Godescalcus* autem patris sui frater claruit sub *Frederico Imperatore* tertio, Anno Domini 1470.

JOANNES de DORSTEN, natione Teutonicus, ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, & ad disputandas enodandasque quæstiones scripturarum satis idoneus, in declamandis quoque sermonibus ad populum excellentis opinionis, qui in *Gymnasio Erfordiensis* docendo & prædicando in pretio est habitus.



*Scriptis non contemnenda opuscula, quibus memoriam sui posteris commendavit, de quibus feruntur:*

*Sermones de tempore lib. I. Sermones de sanctis lib. I. Et alia quaedam. Claruit in conventu Erfordiensis sub Frederico Imperatore, Anno Domini 1475.*

WERNERUS ROLEVINCK de Laer, (ex ditione Monasteriensis) natione Teutonicus, patria Westphalus, ordinis Carthagen-sium domus sanctae Barbara in Colonia Agrippina, vir in divinis scripturis studiosissimus & valde eruditus, ingenio excellens, vita & conversatione devotus, edidit multa & praecleara opuscula, quibus se utilem praesentibus & memorabilem reddidit futuris: E quibus extant sub-jecta, opus grande super omnes Epistolas Pauli, quod praenotavit Doctrinam Pauli lib. XIII. Doctrina Pauli Apostoli, De vita quoque Pauli Apostoli lib. 7. Sicut fui cum Moyse, sic De valore Missarum lib. I. De regimine Principum lib. I. De studio Theologiae lib. I. Fasciculus Temporum lib. I. Paradysus conscientiae liber I. Sermones multi liber I. Et alia complura. Vidi olim in ejus cellula tractatus parvos quidem sed plures & utiles, quorum titulos jam a memoria tulit oblivio. *Vixit adhuc in Cathusia Coloniensi propectae aetatis, & varia conscribit sub Maximiliano Romanorum Rege, Anno Domini quo ista scripsimus 1494. Hec Titus hemius. Sed is quoque circa annum 1488. scripsit de Laudibus Westphaliae librum, quem correctum & emendatum edidit postea Anno 1514. Owinus Gravius.*

RODOLPHUS LANGIUS, natione Teutonicus, Monasteriensis Ecclesiae in Westphalia Canonicus, vir in divinis scripturis studiosus, & in secularibus literis eruditissimus, Philosophus, Orator Poeta celeberrimus, ingenio subtilis & disertus eloquio. *Scriptis tam metro quam prosa multa praecleara opuscula, quibus nomen suum cum ingenti gloria longe lateque divulgavit, de quibus extant subiecta: Ad Hermannum Langium, ejusdem Ecclesiae Decanum, De urbe Hierosolyma libri. Splendidissima quondam; Ad Decanum Coloniens. carminum lib. I. Clara quem virtus; De obsidione Nusiensis urbis lib. I. De tribus Magis carmen lib. I. Epistole plures ad diversos. Carmina quoque varia: Et alia complura. Vixit adhuc admodum senex in civitate Monasteriensis, multa componens sub Maximiliano Rege Romanorum Anno, quo ista scripsimus 1494.*

Scriptit etiam alia Langius, quæ ego vidi, de *D. Paulo carmine*, item in honorem *M. virginis versus vel hymnos* dictos *Lilium, Rosa, Viola*; item *horas de S. cruce* ad Johannem Rincum Pindaricis versibus, item *adversus capitalia crimina septem elegantissimum carmen*. Hæc ego præter alia vidi.

THEODORICUS de OSSENBRUG, natione Teutonicus, ordinis fratrum minorum Provincia Colonienfis, vir in divinis scripturis exercitatus, declamator sermonum popularium famosissimus, cujus vitam omnes, qui eum noverunt sanctissimam hoc tempore prædicant, in sermonibus faciendis ad populum tanta gratia divinitus illustratus, tanta facundia loquitur, tanta denique compunctione & dulcedine afficit auditores suos, ut similem apud Germanos habuerit neminem: Unde per totam Provinciam generalis prædicator constitutus est. *Legit mihi* nuper dum Coloniae mecum esset opusculum insignæ & devotioni congruum, quod composuerat ad instantiam Archiepiscopi Colonienfis, de *Pasione Domini liber 1.* Reverendiss. in Christo; *Manuale Simplicium lib. 1.* Quia sicut August. *De exercitio interiori lib. 1.* Qui persevera. Et quædam alia. *Vivit adhuc* in Provincia Colonienfi, cæpto fortiter instans officio *sub Maximiliano Rege Anno 1494.*

BARTHOLOMÆUS COLONIENSIS, natione Teutonicus, vir in secularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis & disertus eloquio, Philosophus & Poëta præclarus, cujus carmina etiam doctissimi Poetæ & mirantur & laudibus tollunt. *Scriptit* utroque stilo nonnulla celebranda opuscula, quibus nomen suum notificavit. Equibus ego huc usque vidi tantum *opusculum de laudibus Philosophia* metro compositum, quod prænotavit *Sylvam carminum lib. 1. De secta Diogenis lib. 1. Epistolam Mitylogicam.* De aliis nihil vidi. *Vivit usque hodie Daventriae*, varia componens *sub Maximiliano Rege*, anno quando hæc scripsimus 1494. *Ideo illum hic nostris apponimus*, quia *Minda* in *Westphalia* mortuus est in gubernatione Scholæ, cui scripsit Epitaphium *M. Rodolphus Mollerus*, & fuit Conrector ibidem, *Joannes Pollius*, huic Bartholomæo, &c.

JOANNES de DUSSELDORP, natione Teutonicus, ordinis fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, prior Argentinensis, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, Philosophiæ non ignarus, Theologicæ facultatis celeberrimus interpret, ingenio præstans & vita præclarus, dicitur multa scribere, sed eclare. Vidi quosdam

dam ipsius tractatus, quorum titulos nunc ad memoriam revocare non potui. *Vivit usque hodie apud Argentinam sub Maximiliano Romanorum Rege clementissimo Anno 1494.*

GERHARDUS ZUTPHANIENSIS, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, nec minus conversatione quam scientia scripturarum præferendus, *Edidit* quædam ad eruditionem devotorum fratrum pertinentia opuscula, quibus nomen suum cum gloria transmisit ad notitiam posteritatis, è quibus vidi tantum, *De Reformatione interiori* liber 1. Homo quidam descendit: *De ascensione Spirituali* liber 1. Beatus cujus est. *Sermones varios* liber 1. De cæteris nihil reperi. Ex scriptis suis apparet illum virum devotum & religiosum fuisse, & alicujus ordinis, quanquam ignoretur à nobis. Sunt vero qui scribunt illum Canonicum extitisse regularem, quod verisimile transimus. *Claruit in Gymnasio Coloniensi & varia scripsit.*



LIBER SECUNDUS

VIRORUM PIETATE,  
DOCTRINA, VIRTUTE, DIGNITATE,  
ET PRÆSTANTIA ILLUSTRIMUM,

*qui ante nostra tempora,*

In WESTPHALIA vixere,

*vel inde oriundi, aliis in Regionibus claruerunt,*

Ex

ALBERTI KRANTII Doctoris, Metropoli  
& aliis scriptis collectus

per


HERMANNUM HAMELMANNUM,

Licentiatum Theol.

Ubi Episcopi potissimum virtute & scientia illustriores &  
præstantiores Westphaliæ & finitimorum locorum  
recensentur.

---

*Et hic rursus à doctis & piis precor Westphalis, ut me juvent, quò conjunctim  
possim viros doctos & scriptis claros patria nostra, conjungere & redigere  
in certos quosdam libros. Multorum enim Westphalorum nomina sunt  
mihi incognita, qui tamen vel olim scientia & literis claruerunt, vel ad-  
huc propter eruditionem & scripta celebres me ignorante in diversis su-  
per sunt regionibus: Tales itaque mihi indicari peto à studiosis & doctis  
in Westphalia.*



*Amplissimis & excellentibus Principibus ac*

*Dominis,*

**Dn. EVERHARDO** ab HOLLE, dignissimo Episcopo Lübecensi atque Abbati Monasterii Lüneburgensis ad S. Michaëlem, &c.

*Nec non*

**Dn. REINHARDO** à BOICHOLT, Imperialis Monasterii Corbiensis ad Visurgim Abbati reverendo, &c.

*Heroibus eximiis, Clementissimis Principibus atque observantissimis Dominis.*

**A** Lii forsanelind de me dicent, cum viderint diversa nostra de Westphalia, ejusque urbibus, oppidis, situ, populis & viris scientia, virtute & doctrina illustribus opuscula ordine prodire: Verum ego patria amore ductus, ista omnia congesi, ut etiam suo loco demonstravi. Nam cum viderem neminem aliquid perspicuè de Westphalia scripssisse, feci ego quod potui, & puto honestos homines ista mea pia voluntate contentos esse, quam etiam Etimæus Poëta scribit Diis non displicere. Quod vero jam antea primum & secundum quoque libellum de viris Westphalia scientia, doctrina & virtute illustribus emittam & deinde reliquos protrudere suo loco & tempore, si Deus voluerit, decreverim, hanc Reverendissimi Heroes habet rationem, quia spero hoc pacto multos excitari posse bonæ indolis adolescentes tam nobiles quam plebejos in nostra patria, quò tandem & ipsi, propositis majorum exemplis, diligenter & quidem ita studiis & virtutum cultura impendant, ut si non superent claros viros, qui Patrum seculo vixerunt, doctrina & virtute, saltem pares reputentur, eisque annumerentur: Quomodo enim juventus ad subeundos virtutis & literarum labores preparari magis & excitari poterit quam exemplis suorum majorum? an non Scipio junior cogitabat quotidie, quomodo possit senioris Scipionis vestigia ingredi ei que par fieri? Hoc etenim pacto calca alacritati ingeniorum additur: Accedit & hoc, quod dulce sit piis & cordatis hominibus ex historiis cognoscere, quales fuerint plerique majores sui: item an etiam quidam ex nostris Majoribus virtute & doctrina præluxerint, & quinam illi fuerint, denique qui etiam ante nostra tempora patriam ornaverint, &c. Atque istorum memoria dulcis est: Ut autem hoc a multis cognoscatur, volui etiam ex KRANTII Metropoli & aliis ipsius scriptis quadam

majorum suo isto tempore prælucentium exempla in medium proponere: atque in his recitandis verba D. Krantii retinui, nihilque aut certe parum ex meo addidi, quod tamen factum est, ubi commoditas dabatur & sese occasio offerret: imo nostris Episcopis præstantiores quosque vicinarum Ecclesiarum, ut Bremensis, Verdensis, Hildesimensis Præsules, imprimis vero Lubecensis, quoniam in ea fuerunt multi Episcopi Westphali, ut suo loco annotavi, obiter immiscui: Cum vero in initio per Saxoniam Episcopatus à Carolo Magno & deinceps sue familia Imperatoribus sequentibus fundarentur, erant Præsides ipsi tantum inspectores Doctoresque: Canonici autem in collegiis discabant & communiter vivebant (ut ex multis Krantii locis in Metropoli conspicuum fit) ita & monasteria erant olim nihil aliud quam phrontisteria, & utrobique tunc exercitiæ pietatis & studiorum florebant: hinc etiam factum est, ut ad prædicationem verbi Dei, ad gubernationem Ecclesiarum & administrationem mysteriorum Dei, tam ex collegiis quam monasteriis vocarentur multi, veluti in hoc libro exemplum Vicelini, qui in finibus vel potius vicinia Westphalia natus est & in media Westphalia Paderbornæ didicit docuitque literas, atque primus Lubecensis Ecclesie Præsul factus est, deinde exemplum Ansgarii illius, qui Corbeie in monasterio docuit & diu vixit quasi in Museo, & tandem primus Episcopus Hamburgensis creatus est, perspicue docent. Et cum talis servaretur mos, floruit pietas & major erat doctrina puritas, simplicitasque honestior quam postea fuit, ubi abolitis piis legendi & discendi docendique exercitiis, passim cum in collegiis tum in monasteriis nihil aliud facerent, quam quod horas canonicas legerent & sua sacra (satis tamen impia) pro vivis & defunctis facerent, quoniam tunc Bibliothecarum usus peribat passim & libri tinnis & blattis, denique focis & institutoribus tradebantur.

Certum est ex fundatione collegii majoris Ecclesia in patria mea Osnaburga, quam etiam Krantius recitat, collegia fuisse Scholas: & quid aliud fuisset Corbiense monasterium, nisi phrontisterium, cum post Ansgarium plerique viri docti in ejus locum & alio etiam ad ministeria evocati sint, atque interdum in eo viri docti scriptis simul elari extiterint, tum quoque in eadem celebris olim Bibliotheca fuerit? Lubecæ in collegio multi viri docti olim reperti sunt, quorum plerique etiam ad Episcopatus honorem ecclesiæ leguntur. Atque in initio quidam ejus Ecclesia Episcopi ac aliarum quoque Ecclesiarum Præsules, præcipue vero Ansgarius Corbianus Hamburgi primus Episcopus & multi ex ipsius successoribus prædicarunt ipsi & docuerunt verbum Dei non sine periculo: Fuerit quaedam interim jam tum in religionem delapsa su-

per-

perstitio (quod non nego) tamen purior & sincerior erat Theologia eaque nondum Scholasticis Sophismatibus intricata: vigeat adhuc mediocriter tunc doctrina Christi in cordibus Procerum & subditorum.

Habent nunc Illustres & Reverendiss. Principes V. Cels. præcipuam causam, cur hoc scriptum parvum utrique vestrum nuncupatim inscripserim: Sunt etiam & alia, quarum partem recitabo: Episcoporum præcipuorum & virtute ac doctrina præstantium in Westphalia exempla, imo potius memoriam & quasi descriptiunculam ad præstantem doctrinam & virtute Episcopum mitto, qui etiam Lüneburgi ad morem sanctæ antiquitatis reformatum habet monasterium, sicut à bonis viris refertur, & nunc sine ullo dubio operam dat, ut antiquiorum simul Episcoporum exemplis insistens bona possit conscientia, veri & pii Episcopi munus adimplere: tertia accedit causa, cordatissime Præfati, quod ibi nunc T. Cels. præfulem agat, ubi multos Westphalos conterraneos & concives nostros, viros equidem doctos & doctorum patrones antecessores habuit, quorum plerique in hoc scripto recensentur.

Tua etiam Cels. Spectatissime Domine Abbas Corbiensis, hoc nostrum exiguum scriptum propter multas rationes inscribo, quoniam non solum hoc me movit, quod T. Cels. Cænobium ad Westphaliam adhuc referatur, sed quod et eo tam celebres doctique viri ad diversas Ecclesias ante seculum aliquot quasi scholis vocati sint, de quibus in hoc opusculo disseritur, & deinde plerique eodem floruerint literis & doctrina præstantes, de quibus ante in libro primo dictum est, quos etiam tua R. literis & moribus exulta sine dubio jam nunc imitatur. Mibi autem persuadeo, T. Cels. hodie quoque plane cogitare, quomodo possit vestrum splendidum & jam à seculis multis clarum monasterium ad pristinum illum usum revocare: interdum etiam vestri majores & prædecessores ad Episcopatus proveci & electi sunt. Nam & Osnaburgensis & Mindensis, atque Paderbornensis Ecclesia aliquando habuerunt elegeruntque in sui Episcopos, Abbates Corbejanos. Unde apparet tales Principes propter virtutem Episcopatus consecutos & Heroes fuisse præstantes, quorum etiam præstantiam tua Cels. refert.

Habetis certas causas cur simul V. Cels. Excellentes & ampliss. Heretico tam exiguum opusculum dedicaverim, quo orno patriam nostram Westphaliam, & nunc reverenter peto ab utriusque Cels. ut hoc factum boni consuleri dignemini, quoniam nisi me prædictæ rationes ad hoc commovissent, nunquam id tentare ausus fuisset. V. Cels. in Christo bene valeat.

V. Cels.

deditissimus

HERMANNUS HAMELMANNUS, Licent. Theol.

Virorum Westphaliæ Illustrium, qui olim ante nostra  
tempora in Westphalia vixerunt, aut ex ea oriundi  
alibi claruerunt,

ex  
ALBERTI KRANTII, Metropoli & Saxonia  
collectus.



Nte Wedekindum in paganismo fuisse egregium virum  
EDELHARDUM, prælatum reliquis Saxonibus scribit  
Krantius libro 1. Metropol cap. 1.

WEDEKINDUS, Rex & Dux Angriorum, etsi for-  
titer tueretur primo suam Paganismi religionem, tamen semel factus  
Christianus, zelum pietatis in eo exhibuit, quod non solum amaret re-  
ligionem sed etiam promoveret negotium religionis Christianæ stre-  
nuè: Episcopo Mindensi concessit partem Arcis suæ, teste Krantio in  
Metropoli; LUDERUM, qui Mimigerdevordensis Episcopus fuit, ha-  
buit, sibi charissimum, de cuius consilio multa præclara constituit &  
fecit. Constituit etiam in Angaria & ædificavit ibi egregium templum,  
atque eidem pulcherrimum adjunxit collegium (quod translatum postea  
referunt in urbem Hervordensem) atque in eodem ipse est etiam sepultus,  
teste eodem in Saxonia lib. 2. cap. 24.

WIGBERTUS, Wedekindi filius, fuit semper Deo devotus, qui  
collegium Wildeshusense fundavit, & devotionis gratia Romam profectus  
est. Hic vir fuit Christiani nominis amantissimus & religiosè vixit, se-  
pultus est in Wildeshusensi collegio, teste ibidem cap. 26.

WALBERTUS, filius Wigberti, ut in gente Saxonum fuit nobi-  
lissimus, ita in Christiana pietate ferventissimus erat, qui quoque Ro-  
mam devotionis causa profectus est & perfecit atque ad finem perduxit  
collegium Wildeshusense, quod pater inceperat. Wilbertus est tandem  
ibidem apud Patrem sepultus, teste ibidem Krantio cap. 27.

WIHO, primus in Saxonia Provincia Episcopus, BONIFACII  
Martyris discipulus, in Ecclesia Osnaburgensi tum à Carolo fundata, est  
constitutus Præsul ab eodem Carolo Magno: Hic fuit sensatus & egit pro  
zelo religionis, verbo insistens & opere; Præfuit Wiho nova quoque Scho-  
la, quam sub illo erexit Carolus Magnus ea lege, ut ibi doctores insig-  
nes præessent & in ea clerici utriusq; linguæ periti haberi possent, lib. 1.  
Metropolis cap. 2.

T

LUD-



LUDGERUS, sanctus vir, natione quoque Phrisius, ut Wiho, constituitur in loco celebri & populofo dicto: *Mymingerode, nunc Monasterium* ab insigni Monasterio Dominarum trans aquas: Hic *Ludgerus* prædicationis officio sancto tam ardentem incubuit, ut merito *Saxonum Apostolus* diceretur. Hunc *Wedekindus* consiliis sibi semper intimum fecit. (Unde ego colligo tunc etiam jus & potestatem habuisse *Wedekindum* in locum *Mymingrode*) *Alcuini* autem *Theologi* opera evocatur per *Carolus Magnus* *Ludgerus* è Monasterio *Franciæ Benevento*, ubi in studio pietatis & religionis adoleverat, & præfecit eum ibidem congregationi canonicorum. Is de facultatibus patrimonii sui *Monasterium Werden super Ruderam flumen edificavit* &c. libro 1. *Metrop.* cap. 5.

HERIMBERTUS præcipua religione fuit *primus Mindensium Episcopus*, cui communem fecit suam arcem *Wedekindus*, ei ad viciniam arcis loco commonstrato, ubi Ecclesia ædificari posset, lib. 1. *Metrop.* cap. 9.

HARIMARIUS, natione Saxo & *Wirtzburgensis* canonicus, qui olim *Saxonum* obses fuerat, vir gravis, qui sub magisterio *D. Burchardi Wirtzburgensis Episcopi* profecerat in omni religione & sanctitate præficitur à *Carolo Ecclesia Paderbornensi*, libro 1. *Metrop.* cap. 2.

BADURADUS deinde, natione Saxo & olim obses *Carolo* datus ex Ecclesia *Wirtzburgensi* defumitur ad gubernationem *Paderbornensis Ecclesiæ*, in qua floruit tunc *Meinolphus* (quem de fonte baptismatis levavit *Carolus Magnus*) nobilis genere, sed nobilior virtute, qui *Archidiaconus* in ea fuit Ecclesia, serviens Deo in omni sanctitate. *Ertmannus* *Ertmannus* in *Chronico Osnaburgensi* scribit illum *Episcopum Paderbornensem* fuisse, sed quia hoc *Gobelinus* non habet, non est etiam verisimile: Hic ædificavit ex suo patrimonio & ex villa sua *Vobesem cœnobium virginum sacrarum*, quod nunc *Monachorum* est, lib. 1. *Metrop.* cap. 16.

Cum *Ludovicus pius* Imperator constituisset novam *Corbejam ad Mosam*, hoc est, cœnobium vel novum in *Saxonia phrontisterium*, profecto inde multi sunt variis Ecclesiis dati *Pastores* & *Episcopi*, & præcipue *S. ANSGARIUS* in eo cœnobio didicit, vixit & docuit, imo opinor *Magister* & *Doctorem* & *Patrem* ibi fuisse: vir certe doctissimus & fervens in religione Christi fuit. Hic in *Jutia, Daniæq;* Christum prædicavit per *benedictum* *nium* sub *Heraldo Danorum* rege, & deinde reversus est in *Monasterium* *Corbejam* cum socio *Gandberto*. His auditis, Imperator facit illum *Archidiaconum*

*Archiepiscopum Hamburgensem*, ubi baptizando, prædicando, docendo-  
que sedulam inter impios operam posuit, præsertim inter Normannos,  
Suecos & alios, idque tam viva voce quam literis: Episcopos fratres  
monuit epistolis, ut sedulò super gregem dominicum vigilarent. Ex-  
tabant epistolæ ejus plures, quæ per incuriam perierunt: reliquæ uni-  
us adhuc reperiuntur, quæ Christum sapiunt & verbum vitæ, vide  
*Krantium* in multis capitibus lib. 1. Metrop. &c. Et in libro 2. Saxo-  
niæ in diversis capitibus.

*Mindensis secundus Præsul* fuit insignis vir HADUARDUS, sancti-  
tate & religione præcipuus, hic laborans ut fortis agricolæ in vinea Do-  
mini, & pro lucranda animabus & Christo retinendis omnem operam  
ad mortem usque impendit, lib. 1. cap. 23.

*Osnaburgensis Episcopus II.* fuit MEINGERUS, præfulatu dignus  
pro religione & fervore in illo tempore. cap. 24.

*Mimiger devordensis II. Episcopus* (hoc est *Monasteriensis*) est GER-  
FRIDUS, nepos Luderii, cujus mores & vitam imitatus dignum se tan-  
to viro præstitit successorem. Nam & operibus virtutum & miracu-  
lorum gratia non caruit, dignus omnium opinione in sanctorum nu-  
merum referendus. *Successor* ei datus est ALFRIDUS, vir magnæ devo-  
tionis & sanctitatis, unde & Ecclesiæ suæ & populo sibi commendato,  
in diebus suis utiliter & fructuosè præfuit, capit. 25. *Deinde* denuo fit  
*Monasteriensis Pontifex* LUBERTUS, vir magnæ devotionis & humili-  
tatis, cap. 34.

REINBERTUS ex *Abbatia Corbiensi* Saxoniam transfertur ad Ham-  
burgensem Ecclesiam, succedens suo magistro Ansgario (fuit tunc Ponti-  
fex *Corbiensis* ADALGARIUS) ei similis & à puero devotus & doctus:  
Hunc educavit quemadmodum Alexander Athanasium Ansgarius, lib.  
cap. 2. & lib. 1. c. 24. Hic *sacra vasa Ecclesiæ vendidit ad redimendos captivos*  
lib. 2. cap. 10. quia aliunde redimi non potuerunt: Profectus in Dani-  
am prædicavit, docuit monuitque. Ubicunq; erant pauperes, istis cura-  
bat cum omni vigilantia exhiberi alimoniam, nobile verbum exhorta-  
tionis relinquens: Non est, inquit, hæsitandū cunctis subvenire paupe-  
ribus, quia in quo sit Christus, seu quando ad nos venit, ignoramus.  
Dxtant variæ ejus Epistolæ piæ: Multos ipse fessus senio *per coadjuto-  
rem* suum ADALGARIUM (non illum Abbatem, sed tamen ejusdem  
cænobii præbyterum) in Domino confortavit: lib. 2. capit. 11. *Adal-  
garius* enim vir fuit Deo devotus: Hic *Adalgarius suscepit adiutorem*

HOGERUM ex Monasterio Corbejensi, cap. 24. ac vir fuit sanctus & exactissimus disciplinæ Ecclesiasticæ censor &c.

GOSBERTUS, *Episcopus Osnaburgensis*, in Suetia primo Christum docuit, libro 2. cap. 16. & pro Christiana fide occubuit à Normannis cæsus in loco Ebbeckstorp / libro eodem cap. 26.

*Mindensis Præsul* fuit VULFARIUS, vir Saxonici generis, vir doctus, Doctor fidelis, prudens, & fidelis Pastor, qui vita & moribus doctrinaque bene præfuit, unde versus.

*Hic Doctor prudens ad opus sublime vocatus,*

*Aut orique Deo messis fecunda paratur.*

Lib. 2. c. 27.

Mimigardevordiensis vel *Monasteriensis Episcopus* fuit WILHELMUS, religiosus in Christo Sacerdos, magna humilitate & sanctitate conspicuus, ex Pastoratu in Cagenhusen electus & vocatus per Imperatorem in Episcopum, lib. 2. cap. 29.

Per id tempus fuit etiam ex origine *Wedekindi Verdensis Episcopus* WALTERUS, vir dignissimus, natione Westphalus, qui omne suum patrimonium in Westphalia situm, contulit suæ Ecclesiæ, lib. 2. cap. 30.

*Osnaburgensis Præsul* erat EGELMARIUS, vir Deo dignus & Pontificali honore dignissimus, lib. 3. cap. 7.

In *Ecclesia Paderbornensi* fuit VOLCMARIUS, vir Deo & pontificio honore dignus, cap. 9. eum etiam in vicinia, *Verdensis* esset *Episcopus* ADALWARDUS, illustri quidem genere ortus, sed vita, fama doctrina, fide & miraculis celebrior, cap. 12.

ADELBERTUS sextus *Minda* Pontifex fuit eximius, unde hic versus:

*Liberat Ecclesia depulsis vulpibus agrum,*

*Nec jam schismaticus vorat ovile lupus:*

*Non dubitat forti pater obvius ire Leoni,*

*Maxillisque graves inseruisse manus.* Cap. 13.

*Monasteriensis* tunc fuit RICHARDUS, vir in utroque homine nobilis, fertur regium traxisse sanguinem ex *Anglia*, sed non minus animo & religione insignis, cap. 15. quem secutus est ordine VIII. nomine RUFUS MOLDS, cujus in præcipuis virtutibus memoratur, quod in fama & caritate annonæ, multam impendit largitatem indigentibus, alter velut Joseph in *Ægypto*, sic ille in Westphalia terra satis iniquosa & sitiente & frugum non superabundante, sed quoniam pietas valet ad omnia, potuit in optimo patre providentia & diligentia & circumspice-

ctio, ut multis tum fame deficientibus fuerit salutis conservator, lib. 3. cap. 15. Fuit etiam in *Raceburgensi* Ecclesia, teste Krantio libr. 8. c. 29. Metropolis, ex genere militarium de *Blucher* natus, qui pauperum erat consolator egregius, in eleemosynis largus, misericordiae operibus singulariter deditus. Fertur de illo, quod granarium suum plenum farina & frumento totum in manus pauperum exhaustit, ita ut sibi & familiae nihil reservaret. Supervenientibus adhuc pauperibus, vocavit procuratorem, iussitque ut daret pauperibus quod superesset, quia erat tunc insignis annonae caritas & fames valida. Procurator evacuatum sciens granarium, nihil superesse dixit: fiducia plenus dixit Episcopus, vade & vide si forte modicum superfit, ut non vacui discedant pauperes, vade in nomine Domini & da eis; etsi ille diceret vere nihil superesse, tamen propter serium Episcopi urgentis mandatum iivit aperiens granarium, & farina plenum reperit, & tunc pauperibus abundanter dedit. Haec cum ipse Episcopus cognosceret, prorupit in lachrymas, & Deo gratias egit. Idem de *Westphalo* militari *Joanne Bock*, Ecclesiae *Bremensis* Decano scribit Krantius lib. 9. cap. 2. Metropolis, quomodo cum largissimas fecisset eleemosynas in granis & farina, admonuerit tandem eum familia parum superesse, quod propriis necessitatibus vix sufficeret ad paucos dies: Date, quaeso, inquit ille, & perquirite angulos domustotos, ut omnia dentur, & ecce revertentes ad evacuata vasa ex iussu Domini, erogarunt largissime. Hos omnes nostro tempore secutus est, & praesertim ante eessorem olim suum *Rumoldum* ( qui quoque priori *Wilhelmo* parent ) **WILHELMUS KETLERUS**, nuper *Monasteriensis* Princeps, qui antequam se abdicaret ultro & volens Episcopatu, anno, nisi fallor, 57. multis egenis fame oppressis ex suis subditis erogavit frumenta quam largissime, &c. ut ita suam testaretur pietatem.

**DODO** in *Monasteriensis* Episcopatu X. Ecclesiam suam vita, moribus & doctrina instruxit, lib. 3. cap. 15. quo tempore etiam **ERPO** in vicinia rexit *Verdensis* Ecclesiam, capite 17.

*Minda* fuit tunc **BERNHARDUS** septimus ordine, de quo hiversus :

*Sanctus & electus Bernhard fuit septimus Herus,  
Herculis exemplo mundi ne corrumpat axis,  
Hic habet atque humeris grande reserat opus,*

T 3

Fuit

Fuit ergo sanctus & insignis Pontifex ille, libro 3. cap. 18.  
cap. DROGO fuit vir optimus, Episcopus in Ecclesia *Osnaburgensi*,  
*nien* 25. eo tempore cum esset *Ottonis* frater, BRUNO, Episcopus *Colo-*  
*liquis*, qui in Angarorum oppidum (ait *Krantius*) *Susatam* transculit re-  
*tas Patrocli martyris*, cap. 27.

LANDOWARDUS Episcopus *Mindensis* XI. etsi regalia primus de  
manu Imperatoris *Othonis* susceperet, tamen dicitur multas pietatis  
virtutes habuisse, unde versus:

*Præsul Landwardus, moribus redolens quasi nardus,*  
*Gregem non tardus, servat vigilans quasi pardus,*  
*Carnem castravit, hostem mundum superavit,*  
*His bene peractis conscendit ad agmina lucis,*  
*Famelicos pavit, sitibundis pocula lavit, &c.*

*Monasteriensis Præsul* fuit SVEDERUS, vir Deo & hominibus ac-  
ceptus, qui pro sanctitate vitæ omnium opinione dignus est habitus,  
qui in sanctorum numerum referretur cap. 35. cum *Magdeburgi* esset  
OTHRICUS, cujus doctrinæ fama celebris auditores etiam ipsius il-  
lustravit. Qui enim *Othricum* meruit audire præceptorem, aliquid  
sibi supra cæteros accepisse videbatur tunc temporis, cap. 37. circa  
istud tempus sedit in *Wildehsusen* Otto III. cap. 36.

RETHARIUS *Paderbornæ* fuit Præsul, vir clarus magnò cum fru-  
ctu bonorum operum, multaque fecit in obsequium Ecclesiæ, cap. 40.

MILO tunc XII. Pontifex *Mindel* lumen suo seculo fuit & pie vixit,  
cap. 47.

Vixit tunc *Paderbornæ* in choro UNWANUS, qui inde ad *Ham-*  
*burgensem* Episcopatum translatus est, libro 4. cap. 1. vir pius & egregius,  
qui multa sancta gessit.

MEINWERCUS X. *Paderbornensis* Præsul, qui multa ad cultum  
sacrum augendum contulit, cap. 4. libri 4. hunc beatum vocat GODE-  
HARDUS Episcopus *Hildesimensis*, vir sanctus, pius & doctus, qui etiam  
successit sanctissimo *Barwardo*, lib. 4. c. 7.

THEITMARIUS fuit *Osnaburgensis* illustris Pontifex & venerabi-  
lis, libro 4. cap. 13. de quo plura piè refert *Ertwinus* in suo Chronico,  
quod volente Deo propediem edemus.

*Monasteriensis Præsul* tum erat HERMANNUS ejus nominis pri-  
mus, vir insignis & summa cum industria administrans Episcopatum,  
religione in Deum præcipua & in populum vigilantia non vulgari,  
cap. 14. *Pader-*

*Paderborne* tunc ROTHO, ex *Abbate Hersfeldiensi* dioceseos *Maguntinae*, viro pio & docto (quia tales tunc querebantur) factus *Præsul* est: cap. 15.

*Mindensis Præsul* sub Henrico III. erat BRUNO, vir præstantissimus, ex choro assumptus *Magdeburgensi*, &c. Hinc versus:

*Præsul honor patria, lumen & Ecclesie, &c.* cap. 21.

Tunc temporis erat etiam ita ad *Ecclesiam Hamburgicam* BEZELINUS ALEBRANDUS, vir omnium bonorum genere decoratus, ex *Coloniensi Ecclesia* translatus, cap. 22. Quo etiam tempore THITMARIUS XX. & BRUNO XXI. ordine in vicinia *Verdensem* rexerunt *Ecclesiam*, viri boni & Pastores egregii, cap. 23. & 29.

*Paderborne* tunc gubernavit *Ecclesiam* vir præstantissimus IMADUS, qui cum summa laude præfuit, cap. 30.

FREDERICUS, *Præpositus* fratrum in urbe *Magdeburga*, vir doctus, bonus & nobilis frater *Marchionis Misnensis*, est factus tunc *Monasteriensi Episcopus*, laudabiliter regens suos, libro 5. cap. 2. & 8. quando *Hildesia* esset vir præcipuus ECHILO, in divina servens religione, cap. 4. lib. 5. Cum etiam ad *Paderbornensem Ecclesiam* vocaretur ex *præposito Bambergico* POPPO, cap. 14. atque *Hamburga* præfisset *Ecclesie LIEMARUS*, homo literatus & prudens, cap. 18.

BENNO II. vel BERNHARDUS *Præsul* fuit *Osnaburgensis*, ex *Schola Hildesimensis gubernatione ad Episcopatum* assumptus, clarus doctrina & vitæ religione: cap. 26.

BURCHARDUS *Monasteriensi* *Præsul*, vir fuit excellens sub Henrico IV. cap. 33.

VICELINUS, sanctus sacerdos & strenuus per *Vandaliam* prædicator Christi inter incredulos, & postea factus *Aldenburgensis Episcopus*, natus quidem est in *Quernhamelen* & ibi cum in vicinia instituentos pueros suscepisset, hærens apud *Comitissam de Everstein* matrem *Conradi*, erat isti dominæ acceptus propter virtutem & humilitatem. Hanc igitur gratiam invidens ei sacerdos proposito versu ex *Achilleide Statii*, illoque obmutescente, ipsum securus sacerdos increpavit, quid præsumeret docere, qui ipse nihil didicisset, (requisivit enim ab eo, ane legisset *Statium*, & proposito versu explicationem istius ab illo petebat, quem expedire *Vicelinus* non potuit) *Vicelinus* ita rubore perfusus, veitit se in occasionem acrioris studii, *Profectus* autem *Paderbornam* venit, ubi sub *Hermanno*, docente apud *Ecclesiam* & literas

teras liberales profitente, vigilantius operam dedit artibus & reliquis studiis, ut erudiretur, cepitque brevi ita proficere discendo, ut propediem magistri coadjutor fieret in erudiendis se junioribus, tandem *Bremam* vocatus post mortem Ludolphi de Feulo, ad Ecclesiam, ibi quod didicit antea, docere cepit, & Scholas ibidem strenue rexit sub Frederico Episcopo: Tandem profectus in Franciam cum Thietmaro juvene, hæsit Parisiis per triennium sub disciplina Anselmi & Rudolphi: reversi sunt tandem illi duo, & *Vicelinus* vocatur Magdeburgum ad Nortbertum Archiepiscopum, qui erat Colonienfis natione, apud quem fit sacerdos, *Thietmarus* vero fit *Breme* Canonicus, tandem rediens etiam *Vicelinus* *Bremam* ad ADELBERONEM, nuper factum Episcopum, virum prudentia & singulari pietate præditum, à quo est per Dithmariam & vicinam Vandaliam (quia *Lubeka* urbs erat adhuc Vandalis subjecta) constitutus prædicator. Sub illo igitur Episcopo assumptis *Ludolpho Hildesimensi* Canonico & *Verdensi Canonico Rudolpho* legationem subiit (nota quomodo ex collegiis sint olim vocati Canonici ad prædicationem; Ergo tales sine omni dubio fuerunt in collegiis prius instructi sub Doctore, atque hinc satis apparet, quod olim in collegiis canonici non ita stertebant, ut nunc fit) in gentem Vandali- cam, & multos alios Presbyteros ac Sacerdotes sibi conjunxit, quos putavit idoneos ad opus sacri ministerii, ex quibus constituit *Ludolphum*, *Hermannum*, *Brunonem* in *Lubecke*, Postea *Aldenburgenfi* (quæ nunc est *Lubecensis*) Præfatus Ecclesiæ, & consecratus Episcopus jam ætate profectiori, ubi per Vandaliam & Holsatiam diu Christum prædicavit, &c. Hæc *Krantius* de *Vicelino* refert prolixè in sua *Vandalia*, & in *Saxonia* lib. 5. cap. 28. ac in *Metropoli* libro 6. cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & cap. 26. &c.

WITELÓ, Episcopus *Mindensis*, XXII. qualis fuerit, ostendunt ibi versus:

*Supplicat iste Deum, & motum detinet ire,*

*Sedavitque trium vox lachrymosa precum, &c.*

Testimonium est devotæ mentis in Episcopo apud Deum, lib. 6. cap. 33. Hinc succedit SIGEWARDUS, cujus tempore ortus est *Comitatus de Marca* per duos fratres, *Adolphum* & *Joannem*, descendentes ex Italia, lib. 6. *Metrop.* cap. 37. deinde fuit ibi 24. Pontifex HENRICUS assumptus de cænobio *S. Mauriti*, ubi Abbas erat, antea ad illam translatus Abbatiam ex cænobio *Bursveldensi*, ubi se Monachum fecerat. Quæ

Quæ quidem magnæ sunt virtutis testimonia, primum quod de alieno monasterio assumatur in Abbatem, mox ad regendam Ecclesiam in Prælatum vocetur, cap. 41.

*Monasteriensis Episcopus*, WERNERUS XXI. vir fuit omni virtute conspicuus, lib. 6. cap. 45. quo tempore præfuit *Lubecensi* Ecclesiæ HENRICUS, *Abbas V. Aegyptii Brunsvicensis*, vir magnæ eruditionis, iudicii, eloquentiæque, & in Theologia ac Patribus versatissimus, qui peregrinatus cum *Duce Henrico Leone*, grandem sustinuit disputationem cum Græcis coram Imperatore Græco in Constantinopolitana urbe, ubi ipsos vicit, coarguens, quod male sentirent de processione Spiritus Sancti, ut erat vir doctissimus & disertissimus: & ab eo tempore carissimus fuit Henrico Leoni Duci: *Is primo vocatus ex Schola Brunsvicensis*, cui magna cum laude præfuit, factus est *Abbas* & ita deinde *Episcopus Lubecensis*. *Krantius* in Saxonia lib. 6. cap. 31. & in Metropoli cap. 2. lib. 7. Quomodo ipse in humilitate, in jejuniis, in oratione & sanctitate Deo servierit, ipseque prædicaverit Episcopus & scripturas exactissime explicuerit, ostendit *Krantius* prolixè in *Vandalia*, cap. 41. libri 5.

*Huic etiam successit* vir bonus, pius & mansuetus THEODORICUS nomine, cap. 11. lib. 7. Metropol. Eo quoque tempore in vicinia nostræ patriæ *Breme* eligebatur vir insignis literaturæ BARTOLDUS, qui dicitur examinatus esse Romæ, cap. 4. &c. *Verde* tunc etiam fuit *Episcopus Tanno*, vir præcipuus, fidelis & prudens, antea Ecclesiæ *Theaurarius*, cap. 16. *Hildesia* vero BERNO, vir eximius, Ecclesiæ eodem tempore præerat, cap. 17.

*Mindensis Præsul* DITHMARUS, XXVII. ordine, claruit miraculis, vir abstinentissimus, multis utens jejuniis, &c. capite 18.

*Osnaburgensis Episcopus*, XXVIII. ADOLPHUS, vir singularis industria & devotionis non vulgaris fuit, etiam ita humilis, ut in leprosis & aliis pauperibus visitandis eisque confortandis in fide & patientia, summam poneret diligentiam, cap. 19.

*Monasteriensis Episcopus* XXIV. GODSCHALCUS, humili genere Saxo natus, sed natalium originem virtute & industria supplevit, &c. cap. 21. quo etiam tempore LUDOLPHUS, rustico genere natus, factus est *Episcopus Magdeburgensis*, educatus à suo antecessore WICHMANNO, qui conspecta indole pueri, curavit illum probe institui & deinde ipsum ad Universitatem Parisiensem misit, ubi cum cumulate



bonas literas didicisset per annos 20. revertitur, & Scholis est præfectus, atque deinde Canonicus Ecclesiæ factus, mox Decanus, & tandem in locum sui nutricii demortui Episcopus eligitur, cap. 25.

Fuit post BERNHARDUM ejus nominis TERTIUM in Ecclesia Paderbornensi OLIVARIUS, præstans vir, prædicator insignis, Præful, qui postea Cardinalis Sabinensis Romæ fit: *Cedenti succedit WULBRANDUS*, vir quoque insignis, qui postea ad Trajectensem Ecclesiam est translatus, cap. 39.

BERNHARDUS Comes de Lippia, relicto seculo (imo relicta etiam filiis & matre Comitissa de Arnsberg, ut Chronicon Lippiensis urbis indicat) monasterium religionis zelo ductus, cum antea in patria magna-lia fecisset, traditis etiam arcibus & toto suo dominio filiis & matri uxori, ingreditur in Marienfelde, ubi tandem in Abbatem eligitur, & inde rursus assumptus, cum devotione pro Christo peregrinandi acciperetur, consecratur Episcopus Lealensis in Livonia. OTTO filius ejus fuit Episcopus Trajectensis (& hic erat primus Otto de Lippia ibidem Episcopus, ALTER vero OTTO Comes Lippie Trajectensis Episcopus fuit ille, qui ante arcem Coverth interiit, cui Epitaphium scripsit *Alexander Hegius* celeberrimum) frater autem ejus erat GERHARDUS primus Osnaburgensis deinde Bremensis Archiepiscopus, cui rursus succedit GERHARDUS JUNIOR, ex hoc Bernhardo, de quo dicimus, nepos senioris. Et tertius istius religiosi Bernhardi filius HERMANNUS fuit, qui patriam obtinuit, & cum is pro fratre contra Stedingenses pugnavit occubuit vir utique sapiens & bonus ac vere nobilis, &c. Sed ut Bernhardus pater factus tum Episcopus, fuit sane religiosus, ita fuit etiam Gerhardus junior filius ejus Episcopus Bremensis ex Præposito Paderbornensi factus, æque religiosus, &c. Krantius lib. 7. cap. 40. & 45. Ita quoque legimus de Comite Schowenbergico ADOLPHO, quod se tradiderit Minoribus Monachis in Hamborg, relicto seculo, & filiis Joanne, Gerharo & Ludero sub tutore sui generi Abelis, Ducis Slesvicensis lib. 8. c. 2. Videmus tunc Heroes zelo religionis ductos & accensis fuisse, quamquam id non facerent secundum scientiam Dei, &c. Sed ut redeam ad Hermannum illum Lippiensem Comitem, cæsum à Stedingensibus, is reliquit duos filios, alterum BERNHARDUM, hæreditatis partem Dominum, alterum SIMONEM, Episcopum Paderbornensem, Virum, ut ait Krantius, insignem, lib. 8. cap. 15. A BERNHARDO descendunt adhuc nostri generosi Comites de Lippia, Hermannus Simon & ejus nepos

nepos ex fratre *Simon* ( quibus filius Dei gratiam & incrementum spiritus ac felicem gubernationem tribuat, Amen! ) Fuit etiam ex familia Comitum Lippiae quidam OTTO ejus nominis II. *Episcopus Monasteriensis*, qui magna cum laude & fructu praefuit, teste *Krantio* lib. 8. c. 31. & deinceps BERNHARDUS quidam & SIMON II. *Comites de Lippia*, fuerunt *Præsules Paderborna* admodum gloriose & plurimo cum fructu regentes: de qua re alias. Circa illa tempora praefuit *Verdensi Ecclesia* LUDERUS, vir devotus & magnae humilitatis, ordine XXXII lib. 7. cap. 48. cui succedit vir insignis GERHARDUS *Comes Hoyensis*, libro 8. cap. 4.

*Mindensis* fuit tunc *Præsul* XXXI. vir praestans JOANNES, libro 8. cap. 6.

OSNABURGÆ tunc *Præsul* XXX. erat WEDEKINDUS, *Comes Waldechianns*, qui summa cum laude praefuit, lib. 8. cap. 7. quando *Racelburgi* erat *Episcopus* LUDOLPHUS, cujus virtutes vix conscribi possunt: Tantæ enim erant. cap. 8.

*Monasterii* fuit eodem tempore magnanimus & egregius vir *Episcopus* LUDOLPHUS de HOLTE, lib. 8. cap. 14.

*Osnaburgensis Episcopus* XXXI. erat vir insignis & *Episcopatu dignus* BALDUINUS de RUSLE, &c. cap. 19.

OTTO ejus nominis *primus* fit *Episcopus Mindensis* ex ordine *Prædicatorum Monachorum*, lib. 8. cap. 24. cui succedit vir virtute conspicuus VOLQUINUS, cap. 51. quando in vicinia *Verde* esset *Episcopus* vir insignis FREDERICUS, quietus, prudens, placidus, staturæ elegantis, supra hominum communem proceritatem, simplex & rectus, cap. 30.

LUDOVICUS, *Comes Ravensburgicus*, fuit *Episcopus Osnaburgensis* XXXIII. vir magni animi, cap. 52.

*Monasteriensis Episcopus* post *Wilhelmum* fit GERHARDUS, *Comes de Marka*, vir illo sacerdotio & majore etiam dignus, qui religionis erat amator & propagator, cap. 55. & mox ordine XXXII. fuit *ibidem Episcopus* EVERHARDUS de DEIST, vir sine controversia magnus, libro 9. cap. 6.

*Mindensis Præsul* circa ista fuit tempora LUDOLPHUS de RORSTORPE, *militaris & vir insignis*, libro 9. cap. 10. Quo tempore etiam erat *Verde Pontifex* JOANNES, *Medicinæ artis doctissimus*, &c. cap. 9. & similiter esset *Lubeca Episcopus* per id tempus HENRICUS BOIC-

BOICHOLT, medicinæ artis peritissimus & virtute conspicuus, qui ex Decano factus est Episcopus, cap. 13. atque ut hic erat plebejus, ita in vicinia nostra tunc *Breme Episcopatum* obtinuit homo plebei generis BURCHARDUS GRELLE, vir moribus probatus & multis ornatus virtutibus, omnibus etiam amabilis & improbis venerabilis, &c. cap. 16.

*Monasteriensis Præsul* quidam fuit ex Comitibus de Retberg OTTO III. istius nominis, vir memorabilis & bonus Pontifex, cap. 22.

*Minda* erat XXXIX. Pontifex modestus LUDOVICUS, *Brunsvicensis Dux*, cap. 28. cum *Verda* esset Episcopus DANIEL, *Carmelitas*, in Theologia magister non vulgaris, cap. 23.

*Monasterii* fuit Præsul præclarus & magnificus LUDOVICUS de HASSIA, literis apprimè doctus: cap. 31. *Huic succedit* ADOLPHUS, *natus ex Comitibus de Marka*, satis in jure Canonico doctus, &c. c. 47. Et D. WILHELMUS KETLERUS, quondam *ante annos septem Episcopus Monasteriensis*, jure quodam propter insignem eruditionem & alia dona, quibus ornatus est, electus fuerat, &c. Ita quoque legimus eodem libro cap. 53. de *Halberstadenſi Episcopo* ALBERTO RICKMERSTORPE, rustica plebe nato, qui vir doctrinæ & ingenii singularis Parisiis tantum nominis emeruit, ut Pontificatum in patria acciperet: Extant de ejus nomine, quæ vocantur, Sophismata Alberti: *post hic Moguntinus factus est Episcopus.*

*Minda* fuit tunc THEODORICUS CAGELWID, homo plebejus, professione Cistriensis ordinis, qui ut in multis locis Episcopus ante fuit, ita tandem *Mindenſis*, postremo *Magdeburgensis* factus est, cujus infinitas laudes prosequitur in *Vandalia Krantius*, atque ingenii ejus facinora recitat, vide etiam lib. 9. cap. 49. *Metrop.*

*Osnaburgæ* electus est Doct. LUBERTUS de WEND, Canonicus ibidem, sed is contempto seculo in cœnobio campi Mariæ maluit privatim Deo in religione servire, quam in Episcopatu luxuriare & dominari, &c. lib. 10. cap. 4. Deus bone, quantus tunc fuit in multis hominibus zelus: Utinam is fuisset secundum scientiam, id est secundum scripturam: Interim fervor ille in tanto viro est prædicandus. *Simile* legimus lib. 7. cap. 57. de *Halberstadenſi Episcopo* CONRADO, qui dimisso Episcopatu factus est religiosus, hoc est, monachus, quod tum religiosum habebatur. Hodie accensus luce Evangelii (hoc enim pie de illo creditur) WILHELMUS KETLERUS, nobilis, maluit se ultro etiam abdicare Principatu & tanto dominatu, de cujus amplitudi-

ne *Krantius* sapius refert, & privatim bona conscientia vivere, quam ut in dignitatis sedens fastigio vulneraret conscientiam: Cum fuerint contra multi olim, & simul hodie tot & tam multi existant, qui variis modis ambiant hujusmodi Præfulatus, &c. Sed revertor unde digressus sum. Dum illi capitulares *Doctorem Wend* expeterent & urgerent, illeque magis recusaret, fit de Osnaburgensi Episcopatu provilio per Papam Doctori JOAN. HOED, ut ibidem legitur.

*Minda* ordinatur tunc XLIII. Pontifex OTTO WETTEIN, *Misnensis*, Decanus *Moguntinus*, vir moribus, virtutibus, eruditione & ætate plurimum provecus, lib. 10. cap. 25.

Diximus antea de *Lubecensi Episcopo Henrico de Boicholt*, ita quoque quidam EVERHARDUS ATTENDOR, in *Decretis Licentiatum & Ecclesie Decanus*, est electus lib. 10. cap. 32. Iste enim & similes familiae in urbe Lubecensi ex Westphalia primam traduxerunt originem, quemadmodum etiam & illa familia, quæ in diversis urbibus dicitur Westphalica inde originem habet, quod idè dico, quia *Lubeca* quoque fuit *Episcopus* postea, dictus ARNOLDUS WESTPHALE, *Decretorum Doctor & Licentiatum LL.* qui ab ineunte ætate docendo, legendo, & scribendo magnum celebrequè nomen sibi consecutus erat in diversis Gymnasiis, ut ait *Krantius* in Metropoli lib. 11. cap. 47. quem precessit NICOLAUS quidam, vir prudens, ingeniosus, & per omnem vitam integer, &c. cap. 37. & postea etiam, ut in *Krantii* appendice cognoscitur, ex familia de *Westphalen* factus est *Lubeca Præsul*, nepos Arnoldi WILHELMUS WESTPHALE, &c. Sed redeo ad priora: Sequitur in præfulatu *Everhardum Attendor Westphalus* quidam nomine JOANNES de DULMEN, *Decretorum Doctor* ac istius Ecclesie Scholasticus, &c. libro 10. cap. 47. Fuerunt nostro etiam tempore multi Westphali ejus Ecclesie Præfules, Doct. JODOCUS HOITFILTERIUS, cui etiam *Decretorum Doctor* THEODORUS RHESIUS, quoque *Westphalus*, successit, atque simul nuper, natus in vicinia nostra ex urbe *Hagensi* Comitatus *Schowenbergici* fuit ibidem Præsul JOANNES TIDEMANNUS, cui rursus successit *Westphalus nobilis*, EVERHARDUS ab HOLLE, qui cum strenuo Georgio ab Holle, Duce Militum, est suæ familiae ornamento: Hic Episcopus, quemadmodum olim *Balduinus Decretorum Doctor*, ex *Abbate Michaelis in urbe Lunenburgo*, nobilis quoque & vir prudens ad *Bremensem Archiepiscopatum* vocatus est, ex *Abbate Lunenburgico* ad Præfulatum *Lubecen-*

sem vocatus est nuper, quem à doctrina & pietate *Lossius* celebrat scriptis: Fuit isti urbi nuper ornamento *Hermannus Bonnus*, ibidem Superintendens, Westphalus & homo doctissimus.

THEODORUS de NYEM, magister, scriptor clarus, à Bonifacio IX. proficitur *Verdensi Ecclesia*, sed postea translatus est ad *Camericensem*, substitutusque est illi D. CONRADUS de VECHTA, magister, qui rursus est deinceps ad *Pragensem Archiepiscopatum in Bohemia* promotus, lib. 10. cap. 42. Sed sub Magistro *Conrado*, ut scribit *Aeneas Sylvius* in *Bohemica historia*, & *Krantius* lib. 12. *Metrop.* cap. 3. in *oleri secta Hussitarum*, cui teste utroque cepit ille astipulari. Gaudeamus igitur nos Westphali, quod multi ex nostratibus etiam, viderint horrendos Pontificiorum abusus & falsa dogmata ante tempora *Lutheri*. Hic *Conradus de Vechta, magister & Archiepiscopus Pragensis, defendit doctrinam sancti martyris Hussii*: Magister *Theodoricus de Nyem* in nostra natus vicinia, quomodo ille Schismata Papatum ante *Constantiense Concilium* descriperit & de impietate illorum differuerit, videri licet in catalogo testium veritatis *Flacii Illyrici*, editione 2. folio 533. & 534. Extat ejus opus de *Schismate* in tres libros divisum, excusum vero *Nurebergæ* anno 1532.

Fuerunt etiam tempore *Hussii* plures ex Westphalia oriundi, qui reclamarunt impio Papatui & ejus doctrinas foedas execrati sunt, nuper *Matthias de Wesalia*, *Magog de Susato*, & *Stephanus de Colonia*, &c. Vide *Illyrici catalogum* de iis qui ante nostra tempora reclamarunt Papæ, &c. editione secunda folio 498. Scripsit etiam, teste *Tritemio* (vide nostrum librum primum de viris Westphaliæ illustribus) *Hermannus Monachus* in campo *Cistriensis* ordinis in *diocesi Monasteriensi* pro defensione *Concilii Basiliensis* contra Papam & de utriusque potestate, hoc est, de *Concilii & Papæ* autoritate & jure, &c.

Doctor *Joannes de Wesalia* cum *Wesselo Groningensi* docuit contra Papæ doctrinam & hoc nomine damnatus est, vide in *Catalogo Illyrici* editione 2. folio 560. & 561.

*Wernerus* quoque *Rolevingius de Laer*, *Monasteriensis & Carthusianus Coloniae* in libro, dicto *Fasciculus temporum*, multa de impietate Papatum loquitur, & contra pluralitatem beneficiorum.

*Gobelinus*, primo *Decanus Bileveldensis*, postea *Monachus in Bodekem*, in *Cosmodromio* dicit legendam de *S. Catharina* fabulam esse, &c. Fuerunt etiam aliqui in mea patria urbe *Inclyta Osnaburga* ante tempora

pora Lutheri, qui pleraque in Papatu reprehenderunt, de quibus aliàs.

Gaudeat ergo Westphalia, quod etiam eos produxerit, qui olim in tantis tenebris non nihil lucis veritatis & quosdam ejus radiolos viderint. Sed revertor unde digressus sum. *Conrado de Vechia abeunti ad Archiepiscopatum Pragensem succedit Magister in Theologia, CONRADUS SOLTOW*, plebejo genere natus Luneburgi, in *Episcopatu Verdensi*, libro II. Metropolis *Krantii* cap. 3. quo etiam tempore in vicinia fuit *Brema* Episcopus insignis vir JOANNES SLAMPSTORFF, sapiens, bonus, & magna rerum experientia, facundiaque non vulgari atque promptitudine ingenii præditus, cap. 5.

HEINDERICUS WULFF, primum *Pastor in Hertfelde* / deinde factus *Scholasticus Ecclesiæ Monasteriensis*, tandem *Præpositus*, postremo *Episcopus* fit, libro 10. Metrop. cap. 44.

*Osnaburgensis* tunc erat *Episcopus* THEODORUS de HORNE, vir magnanimus, ante quem *Theodorus de Marka* in variis perplexitatibus rexerat ditionem, ut is erat sincerus & præstans vir, libro 10. cap. 48. & antea dixerat de Theodorico de Marca ejusque fidelitate *Krantius* cap. 4. & 24.

Fuit tunc *provisum* per sedem Romanam de *Ecclesiâ Paderbornensi* *Bertrando*, *Decretorum Doctore* Ravennas Canonico, lib. II. cap. 9. sed nunquam consecutus est possessionem is doctor, quia Paderbornenses non volebant regi à Doctorebus:

*Mindensis* tunc *Episcopus* ordine 46. fuit vir insignis & consilio primarius MARQUARDUS RINDEGEM, *Svevus*, l. II. c. 13.

ULRICO de ALBACH, *Westphalo*, *Decretorum Doctore* providerat *Papa* de *Episcopatu Verdensi*, sed impediit illum HENRICUS, *Comes de Hoya*, &c. lib. II. cap. 20. sed post Henricum illum venit tamen ex provisione *Papæ* ad istum *Episcopatum* JOANNES de ASEL, *Hildesimensis*, *Decretorum Doctore*, vir magnæ scientiæ & providentiæ, cap. 29.

OTTO de HOYA optimus gloriosus & victoriosus fuit *Episcopus* *Ecclesiæ Monasteriensis*, lib. 10. cap. 49. & lib. II. cap. 30. Fuit etiam tunc *Minda* OTTO de RETBERG, *Præsul*, majori etiam *Episcopatu* dignus, lib. II. cap. 32. cui successit WULLEBRANDUS de HALLERMUND, vir religione & natu primarius, *Abbas* primo *Corbiensis*, nullo in ditione Pontifice inferior, numero 49. lib. II. cap. 42.

*Osnaburgensi* *Ecclesiæ* præfuit summa cum laude CONRADUS de DEIPHOLT cap. 41.

Sufce-

Sufcepit Episcopatum *Monasterii* JOANNES, ex *Ducibus Bavarie natus*, illustris Dominus, lib. II. cap. 40. Hunc *Sibertus de Eyb*, Juris utriusque Doctor & Pii II. (antea *Æneæ Sylvii*) cubicularius multis modis nomine diligentia & doctrina celebrat, &c. cum per id tempus *Verdensi* præfesset Ecclesie BARTHOLDUS de LANDESBERG, *Licentiatu Decretorum*, qui devotus fuit pastor, &c. lib. 12. cap. 7.

*Mindensis Præsul* HENRICUS, COMES de SCHOWENBORG, summa cum laude præfedit, vir tranquilli animi, modestus, pacificus, & qui nulli fuit detrimento, imo inter omnes versatus sine querela, lib. 12.

*Osnaburgensem* & postea etiam *Monasteriensem* rexit Ecclesiam CONRADUS de RETBERG COMES, pontificio honore dignus, industrius, humanus, doctus & prudens, cap. 21. & 24. Successit ERICUS de LOWENBORG in *Monaster.* Ecclesia Conrado, celebratus ab *Oswino Gratio.*

*Osnaburgensis* Episcopatus devenit ad ERICUM, BRUNSVICENSEM TRANSILVANUM, &c. vide *Krantium* in Appendice.

#### APPENDIX.

Quod in Præfatione dixerim *VICELINUM* primum fuisse Episcopum *Lubecensem*, hanc habet rationem: quia etsi alii plerique essent Episcopi in *Aldenburgensi* Ecclesia sub *Vandalis* pressis jugo, tamen propter rebellionem, defectionem, idololatriam & impietatem eorundem isti Episcopi antea nihil effecerant in ista Ecclesia: imo cum tandem ad priorem crevissent rediissentque potentiam *Vandali*, jugumque *Christianorum* abjecissent *Tyrannice*, omniaque turbassent, mansit illud sedes vacua per annos 84. & nihil ibi aliud quam horrida impietas sonuit interea: Postea vero *Vandalis* rursus domitis, est quasi de novo tanquam novus Episcopus nova Ecclesia veluti primus & præcipuus constitutus *VICELINUS*, qui etiam multum fructus in ea gente protulit, & præ reliquis in ea Ecclesia præcipue & quasi primus munus veri Episcopi solerter exercuit, ut jure quodam primus, vel saltem novus reformator ejus locidici possit. Vide *Krantium* in *Vandalia* libro 4. cap. 9. Deinde certum est, *Aldenburgensem* Episcopatum mutatum & translatum esse in *Lubecensem*, opera *Henrici Leontis* & *Adolphi Comitis Holsatie*, quando *GEROLDUS* successor *Vicelini* proximus, esset Episcopus *Aldenburgensis*. Vide eundem libro eodem *Vandalia* cap. 37. & 39. & in libro 6. *Metropolis* cap. 38. Habet ita Lector, cur *Vicelinum* recte nominaverim primum *Lubecensium* Episcopum.

F I N I S.

LIBER TERTIUS  
VIRO RUM SCRIP-  
PTIS ILLUSTR IUM,

<sup>qui vel</sup>  
In WESTPHALIA vixere,

Vel in ea nati alibi claruerunt, congestus ex Epitome

Bibliothecæ  
CONRADI GESNERI,

primo aucta à

Conrado Lycosthene, deinde vero locupletata per Josiam Simlerum.

Autore

HERMANNO HAMELMANNO,

Licentiato Theologo.

Hic autem Westphalicorum scriptorum vita & libri pro-  
lixius ac plenius explicantur, quam fit in Gesneri Bibliotheca  
vel in illius Epitome.


---

*Cum multi adhuc alti sunt docti viri & scriptores clari in nostra patria Westphalia, quorum scripta non vidit nec his apposuit vel Gesnerus, vel Lycosthenes, Simlerusve, rogo jam tertio ab omnibus Westphalis patria communis amantibus, ut mihi istos viros doctos, qui mihi ignoti sunt, eorumque nomina, & si qui scripta evulgarunt, cum libris ipsis à talibus conscriptis, adjecta ipsorum conditione & vita, indicare non graventur. Cedunt enim hac ad honorem patriæ. Quantum enim hic sudaverim & addiderim, observabit Lector. Nam quæ ego adjeci, inde cognoscant pii, quod quæ post verba, Hac ibi, vel Tantum illi, similiave, sequuntur, omnia mea sint: Volui etenim aliquid certi dare.*

---

Lemgovia, Anno 1564.





*Eximiis & Celebribus Viris, Nobilitate, Virtute  
ac Gravitate præstantibus,*

Domino HERMANNO ab AMELUNXEN, LL.  
Licentiato ornatissimo, Satrapæ in Gronenberg, hæreditario  
possessori castri Gismel/ &c.

*Nec non*

Domino JOANNI de SEVENDER, pio Consiliario  
Reverendæ & Generosæ Abbatissæ Assendiensis, &c.

*atque*

Dno. GEORGIO à BONEN, JUNIORI, Domesticò &  
Curie Præfecto egregio in Aula Juliaca, &c.

*Suis Dominis & Studiosorum Patronis colendis,*

HERMANNUS HAMELMANNUS, Lic. Theologus.

*S. D.*

**E**tsi putent alii satis esse, quod superiori anno in laudem Westphalorum  
scripserim orationem de quibusdam Westphalia viris doctrina & scri-  
ptis illustribus, qui per totam Germaniam, patrum nostrorum seculo, co-  
stituerunt latinam linguam, (quam tunc Heroi incomparabili & amplissimo  
D. Wilhelmo Ketlero, quondam Monasteriensium Principi dignissimo  
qui juxta Nazianzeni exemplum, maluit privatum pie vivere, quam cum pe-  
riculo versari in amplo Episcopatu, dedicavi.) Sed qui hoc putant, meo judi-  
cio non rectè sentire videntur, viri Nobiles & egregii: quoniam ibi viri docti-  
mus quisque Westphalia doctorum est expressus & in medium productus. Si  
igitur nunc laudi datur Joanni Balæo, Anglo, quod nostro tempore ex Tri-  
tenhemii Catalogo, cum ex Conradi Gesneri Bibliotheca, atque aliunde  
collegerit Anglicos scriptores ad laudem & gloriam suæ gentis & patriæ, hoc  
est, Anglici regni; quis obsecro mihi vitio vertet, si ego idem in Westphalia  
nostra similiter exornanda laborem? an non virorum illustrium Inferioris  
Germania quosdam libellos edidit Gerhardus Noviomagus? Nemo igitur  
meum obsecro institutum probrose interpretetur, quoniam ego & Patriæ stu-  
diosus sum, & gloriam gentis nostræ hæctenus pulvere obductam cupere  
quoque ad lucem produci & promoveri potius, quam extingui. Nec etiam  
dubito, quin hoc simul cedat ad gloriam Dei & adificationem Ecclesiæ suæ,  
quoniam ex talibus libris perspicuum nobis fit, quos viros, quæ lumina, majo-  
rum seculo, denique quæ dona multis nostratibus Deus ad politia propaga-  
tionem

tionem & ad gloria sui nominis veraque pietates illustrationem, in hac nostra patria dederit. Deinde non parvum calcar addent junioribus exempla majorum suorum, si audiant cognoscantque, istos rem literariam & pietatis exercitia utiliter promovisse, & in omni literarum scientiarumque genere bonum fecisse progressum, ut hoc pacto & ipsi posteri exemplis majorum excitati alacrius pergant. Nobilibus proponitur Rodolphus Langius & Hermanus Buschius, lumina Westphalia, imo etiam Germania ante annos LX, reliquis reliqui, de quibus hic & in aliis libris diximus, proponi possunt & debent. Qua nam quaso alia fuit apud Romanos ratio, cum suis benemeritis statuas erigerent, nisi haec: Ut partim istorum memoria durabilior esset, partim ut posteri priorum praclaris factis ad similia vel etiam majora glorioso perficienda excitarentur?

Haec cause cordatis & omnibus Westphalis piis sufficient, easque vobis quoque, viri nobiles & amplissimi, satisfacere spero.

Cum autem nuper patriam nostram, hoc est, inclytam urbem & ditionem Osnaburgensem, pro meo qualicumque in lares paternos affectu & officio, aliquoties in meis opusculis celebraverim, atque non solum de Chronico Osnaburgensi aliquid ediderim, sed etiam duos libellos, quos de communis Patria nostra Westphaliae situ, populisque obiter scripseram, dedicaverim quoque nostratibus, viris quibusdam lectissimis, aliaque nostris hominibus destinavit, ut magis testaretur adhuc amorem erga patriam nostram, tibi, clarissime Licentiate & Satrapa, in eadem Osnaburgensi patria non solum moranti, sed etiam consilio, usu rerum, experientia & juris cognitione antecellenti, volui tertium nostrum libellum inscribere: Etsi autem tecum parum familiaritatis habeam, tamen propter patriam, ut nostrates celebrarem, hanc ad T. praestantiam dedicationem destinandam putavi, deinde me ad hoc inflammavit, quod ante octennium in tuo fratre Roberto, multis pietatis, ingenii ac virtutis dotibus exculto, singularem candorem & humanitatem deprehenderim, quando ille mecum familiaritatem contraheret apud tuum ipsiusque sororium praestantissime & veneranda memoria virum, Christoferum à Donop, ditionalem hujus celebris Comitatus Lippiaci Satrapam, cujus solertem & ingeniosissimam in rebus obeundis dexteritatem, ut solet patrem sequi sua proles, imitar studet filius Christoferus à Donop, ejusdem nominis tuus nepos, modo Satrapa in Braacsi qui Galliam studii causa perlustravit & per multos annos veram pietatem cum literis Witenberga imbibat, nuncque Musis benefacit, &c. Atque ita ex tuis, qui simul virtutibus nobiles sunt, te tanquam ex unguibus leonem metior; adde quod olim quibusdam, qui etiam

hoc in libro locum habent, inter quos est Pollius noster, ante aliquot annos te Mecanatem praestiteris propter communia studia, &c.

Quod ad te attinet, nobilis & piissime JOANNES de SEVENDER, audio te piis tuis consiliis istis multis prodesse: atque tuam pietatem & fidem in me ignotum & omnes pios ac studiosos benevolentiam predicavit mihi per literas tuas affinis, in utroque homine nobilis, & omnibus doctis ac piis ipsi doctissimus & piissimus impense favens Georgius Schellius, Quasior in Hörde! &c. Volui igitur pro isto beneficio T. Praest. gratias agere, & reverenter rogare, ut ita pergas studiosis, piis ac bonis viris benefacere, prodesse & gratificari: Is cui hoc gratum est & qui hoc fieri jubet, abunde recompensabit & gloriosum illud erit tibi aliquando coram angelis Dei: utinam tales nobiles in Westphalia multi essent, qui patrocinium piorum & studiosorum susciperent, qualem te esse ex non obscuris percepisti indicium. Quia Westphalicam scribo, volui etiam Westphalis & in Westphalia morantibus nostrum hunc libellum inscribere: Ita & tibi illum mitto, & precor ut munusculum boni consulas.

Quod vero simul T. P. inscribo GEORGI, nobilitate & literis ornatissime, nostrum hunc libellum, facit tua illa singularis humanitas, quam novem annos in te observavi, quam etiam nunc nondum exuisti, quoniam illam mihi aliquoties predicaverit clariss. & doctiss. medicus Doctor Johannes Lithodius, communis amicus, tamen hanc probe ex tuis eruditissimis & omni benevolentia plenis literis, quas nuper ad me dedisti, probe perspexit. Gaudeo, quod non paterna hereditas & generis stemmata te efferant, sed potius vera religionis ac literarum cognitio mansuetum & benignum prodiis & omnibus piis faciant & retineant. Est etiam alia causa dedicationis, quod plerique in aula Illustriss. Principis vestri vobiscum interdum consistuntur ut consilarii, aut in ipsius regionibus morentur, aut olim sedes habuerint, quorum hic fit mentio. Venerandum Senem Doctorem clariss. Conradum Heresbachium superesse audio & gaudeo: non dicam de aliis, quamquam isti Doctores & eruditi vestra aula, qui forsitan hic non reperitur, si vita tantisper Comes sit, alibi suum locum habebunt, &c. Habita ita, viri non tantum genere quam virtute, sapientia, & doctrina nobiles, causas, cur V. Excellent. inscripserim nostrum libellum, quem pro vestra benivolentia boni consulite, & valete in Christo. Lemgovia, Comitatus

Lippia, 16 Julii Anno 1564.

*Liber Tertius*

Virorum scriptis illustrium, qui vel in Westphalia vixere, vel in ea nati alibi claruerunt,

congestus

*Ex Epitome Bibliotheca*

CONRADI GESNERI,

primo aucta à

*Conrado Lycosthene, deinde vero locupletata per Josiam Simlerum.*



ALGERIUS, Corbiensis Germanus, Monachus S. Benedicti, scripsit de Sacramento altaris librum, impressum Coloniae à Quentelio, item de gratia & libero arbitrio.

HENRICUS BOMELIUS scripsit historiam de bello Trajectino. Hæc ibi. Fuit autem Concionator Wesaliensis, an quid præterea scripserit, ignoro.

JOANNES MENSINGIUS, scripsit defensionem Missæ: hic fuit Tremonia in Monasterio Dominicano.

JOANNES de MINDA, super Epistolas Dominicales à prima Dominica adventus usque ad Pentecosten.

*Mindensis ejusdam Episcopi* sermones dominicales in omnes Epistolas, quæ per annum in Ecclesia leguntur, ingens est liber. Nomen Episcopi proprium non inveni.

JOANNIS CINGLARIJ elegia in nuptiis Michaelis Tenberi Doctoris excusa Wittenbergæ Anno 1550. Ejusdem alia elegia in nuptiis Jacobi Syboldi, ibidem anno 1551. Hæc ibi. Hic fuit in aula Wilhelmi Ketleri, Principis Monasteriensis, & dicitur adhuc morari Monasterii.

THEODORICI à NYEM historia de Schismate, quod in Ecclesia Romana inter Urbanum Papam & Clementem Antipapam eorumque successores per annos 39. ab anno Christi 1379. usque ad Concilium Constantiense duravit, in tres libros divisa, quibus non solum Pontificum, verum etiam Regum, Principum ac totius Imperii res gestæ ejus temporis magna ex parte continentur. Impressa Norimbergæ apud Joannem Petrejum 1532.

HERMANNUS BONNUS (*Quakenburgensis*) descripsit sancto-

rum quorundam *martyrum vitas* impressas Halæ Svevorum anno 1536. Joannis Carionis Chronicam latinam fecit. Idem scripsit *Chronicorum Lübeci libros tres*, quos Justinus Goblerus latinis fecit, &c. Hæc ibi.

Scribit etiam ERASMUS SARCERIUS in Præfatione commentariorum in Matthæum, quod sæpe latentes commentarios viri clarissimi & doctissimi *Hermanni Bonni* consuluerit: atque verum est, quod is scripserit in multos veteris & novi Testamenti libros interpretationes accuratissimas, quæ nondum prodierunt: composuit etiam quasdam *Germanicas cantiones*, quæ in Psalmodiis passim extant: Extat ipsius *Elementale* in usum puerorum scriptum, quod per Saxoniam in omnibus Scholis loco Donati retinetur. Sed de eo plura dicemus in Ecclesiastica Westphaliæ historia volente Deo. Scripsit ei *Epitaphium Petrus Vincentius, Vratislaviensis*, editum, quo Bonnus plurimum commendatur, &c.

HERMANNUS BUSCHIUS, *Pasiphilus*, *methodum Donati* octo partium orationis commentario luculentissimo *illustravit ex Prisciano, Diomede, Servio, Capro, Agretio Phoca*: liber impressus est Basileæ per Thomam Platerum anno 1540. & (fuit antea ante annos triginta Colonia & multis in locis sæpius editus) *Decimationes Plautina* impressa (Coloniæ) *Epistola (ad Murmellium)* primam Persii Satyram explicans impressa Parisiis apud Wechelium (& Coloniae apud Gymnicum) *Ars memorativa*, nescio an publicata. *Vallum humanitatis* liber impressus (Coloniæ). In *Silium Italicum* annotationes excusæ Basileæ apud Thomam Welphium: *Commentarii in primum librum Martialis* obscænis carminibus rejectis, excusi Coloniae. *Hypanticon* versibus Heroicis, Antistiti Spirensi Georgio Comiti Palatino Rheni super solemnium suo in Spiram introitu dicatum, Cratander Basileæ excudit anno 1520. Idem scripsit *Epigrammatum libros tres*, ex quibus tertius est Lipsiæ impressus anno 1504. (Nam priores duos Alexandro Hegio præceptoris suo inscripserat anno 1500.) Extant etiam ejus *annotationes in Persium & Juvenalem, &c.* De singulari autoritate veteris ac novi Testamenti, sacrorum Ecclesiasticorumque testimoniorum ferrago in libros 2. divisa & impressa Marpurgi anno 1529. Hæc ibi. Idem scripsit in *Claudianum commentaria* impressa Coloniae: *Scripsit carmen elegiacum ad Rodolphum Langium* de acerbo Joannis Murmellii obitu: *Scripsit & carmen de urbe Coloniensi*, cujus titulum fecit *Floram*. *Descripsit Lipsiam* publico carmine, in quod carmen scripsit *Philippus Nevesianus Hasfurtinus* com-

commentaria, & sunt Lipsiæ excusa 1521. à Martino Herbipolensi. Scripsit *gratulatorium carmen de adventu Erasmi Coloniæ*, ibidem excusum: Scripsit *Hecatostica ad Fredericum Trajectensem Episcopum* ingredientem urbem Daventriam, Daventriæ excusa: Brevia quoque *Scholia in Æneida Vergiliana* scripsit: Cum adhuc esset Papista scripsit *de triplici Psalterio Maria virginis ad Joannem Rincum*, carmen doctissimum: *Selegit quoque utiliores Epistolas Ciceronis in usum Scholæ Wesaliensis* (ubi magna cum laude Scholam aperuit, eique tunc collega fuit *M. Jodocus Heilagius*, postea *Consul factus Osnaburgæ*) item dictata quædam ex proverbis & Ecclesiastæ Salomonis congeffit in usum ejusdem Scholæ.

Edidit *orationem ad Clerum Coloniensem* valde doctam, qua exhortatur illos ad lectionem scripturarum: In lucem quoque misit *Spicilegium*, 53. *illustrium Philosophorum autoritates & sententias*: Item *Epiagrammata quædam in laudem D. virginis*. Item *Oestrum in Tilemannum Heverlingium*: Scripsit *carmina de morte Guilhelmi Comitis de Nova Aquila ad filios Hermannum & Wilhelmum*: Item *de Agone Catharina ad Joannem Korbachium*, item ad *Hermannum, Comitem de Neunahr, & Martinum Oed, Kempensem, gratulatoria carmina, &c.* Et alia quæ non vidi. Ante annos 60. fuit & in Italicis & omnibus per Germaniam Universitatibus notus, ac in maxima illarum parte prælegerat ut in docendo felix erat, vir absolute doctus, memoria mirabili pollens, supra modum in lingua latina recens & eloquens: *postremo docuit Marpurgi, Professor oratoria artis*, tandem rediens in patriam sortiter cum Anabaptisti dimicavit, deinde mox *moritur in arce Dultmen* postquam senex conjugalem suscepisset vitam: Sepultus est in oppido Dultmen sub obsidione Monasteriensis homo Monasteriensis natione, honor & decus patriæ suæ perpetuum, & Evangelicæ veritatis propugnaculum strenuum: *Ejus Bibliotheca dicitur emptæ esse à Capitulo Monasteriensis Ecclesiæ majoris, opera & suffragio Decani Rotgeri Smisingii, viri nobilis & docti, qui Buschium suum cognatum genere nobilem sed nobiliorem doctrina vehementer amavit.*

MATTHIAS BREDEBACHIUS (*Kirspensis*) scholiis illustravit *Lucium Fenestellam de Sacerdotiis & Magistratibus*, quæ sunt Coloniæ per Eucharium Cervicorum anno 1539. excusa. Hæc ibi. Scripsit quoque *Elementale græcum* excusum Coloniæ per Gymnicum: Et paulo ante mortem, cum alioqui per annos 20. magna cum laude & fidelissime gubernasset *Scholam Embrica in Westphalia*, ipseque natus esset in media

media Westphalia, cepit scribere contra doctrinam Evangelii de componendis disidiis, cui Doctor Jacobus Andrea, & Henricus Pilaus, Mindenſis ſoluta oratione: Thomas vero Naogeorgius carmine feſtiviffimo reſponderunt & exagitarunt hominem pro ut dignus erat: Edidit poſt ipſius mortem quidam ſuorum liberorum *librum ſatis inſuſum* ſub nomine patris contra Pilaum, ad Mindenſem Epiſcopum: Huic ſucceſſit in Schola Henricus Uranius, qui *compendium Hebrae Grammatica* ſcripſit & aliquoties recognovit, quod Henricus Petrejus excudit Baſileæ anno 1541. Si quid præterea ediderit ignoramus.

GERHARDI BUCHOLTIANI, Medici, pro ebrietate oratio Coloniae diſta & excuſa: Ejusdem *carmen de Muſarum in Germaniam perfectione* publicatum per typographiam Joannis Soteri, anno 1539. De inventionione ſeu amplificatione oratoria ſeu uſu locorum libri 3. excuſi Lugduni apud Gryphium, anno 1534. *commentarii ejus in orationem Ciceronis pro Rege Dejotaro* excuſi Baſileæ cum commentariis in omnes Ciceronis Epistoſas apud Oporium anno 1553. Ejusdem *narratio de puella, qua ſine potu vixit*, excuſa eſt Pariſiis apud Robertum Stephanum. Claruit Bononiae anno 1535. &c. Dicitur mortuus eſſe in aula Ferdinandi Cæſaris

ARNOLDUS BURENIUS, Westphalus, edidit orationem ad Archiepiſcopum (Epiſcopum Franciſcum) Monafterienſem *de ludis agriendiis*, impreſſam Witenbergæ circa annum Domini 1549. Ejusdem oratio funebris in Ducem Megapolitanum, & alia quædam orationes, quæ impreſſæ ſunt Lubeci. Hæcibi. Scripſit orationem, cur Schola Philoſophica Præſecti in Academia Roſtochiana in diſciplina reſarcienda elaboraverint, Edita Wittenbergæ anno 1556. cum Præfatione Melanchthonis, qui ita de illo ſcribit ibidem. Hoc argumento, ſenex eruditione, virtute & eloquentia excellens Arnoldus Burenus hanc orationem ſcriptam edidit, &c. Eſt autem hæc oratio relata inter Philippi declamationes tomo 4. Philippus Melanchthon ei dedicavit epitomen *Moralis Philoſophia*, ipſumque clariffimum eruditione & virtute præſtantem vocat. Extat etiam inter opera Georgii Sabinii Epistoſa, quam ad Arnoldum Burenium ſcripſit anno 30. quando Burenus eſſet præceptor Ducis Magni Megapolenſis. Hoc tempore anno 1564. ſuper eſt profeſſor Oratoriæ facultatis in celebri Schola Roſtochienſi.

HENRICI WELPII, Lingenſis, in Academia Roſtochiana publici artium Profeſſoris *libellus de communibus & uſitatis Arithmetica Præctica regulis*, excuſus Coloniae per Gymnicum anno 1544. Ejusdem *libellus de*

minutis Physicis & Practicis Astronomica Arithmetica regulis, ibidem impressus anno 1543. Et scripsit librum de minutis Mathematicis aureum librum, &c. Hæc ibi. Diu fuit Professor Rostochii, & mortuus est ibidem ante quadriennium.

JOANNES BUSCHMANNUS (*Lubbeccensis*) scripsit poemata quædam impressa Wittenbergæ anno 1537. Hæc ibi. Hic quoque carmine de scripsit urbem Hannoverensem, quam nomine potus festive celebrat, ubi inter alia sic scribit:

Salve igitur tota venerabilis urbe Brohana,  
Quæ reficis miris tristia corda modis.

Multa suorum excudit carminum Henningus Ruden, dum is Hannoveræ viveret: (nam multis scripsit Epitaphia & Epithalamia) & ajunt quidam, quod varias dedicationes unius sæpe opusculi confecerint isti duo, & ita argentum multis extorserint, quod tamen pro certo non affirmo: hinc jocose de illo Buschmanno dixerat Lemnius, vendit sua carmina Buschman. Emisit quoque elegiam anno 39. Wittenbergæ ad Ennonem, Comitem Phrisia: & anno 47. vertit Schola Salernitana regimen Sanitatis in Germanicos Rithmos: fuit suo tempore non malus Poëta, & dicitur adhuc in patria superesse Lubbesca, in ditione Mindensi, admodum senex hoc anno 1564.

CONRADI COCLENII in Officia Ciceronis Scholia, excusa Basileæ anno 1544. Tantum ibi. Hic Westphalus fuit lumen Scholæ Lovaniensis, ut Erasmus Roterodamus testatur aliquoties in Chyliadibus & Epistolis (vid. Ep. Erasmi ad Morum) Postremo in Dialogo Ciceroniano de ipso: Vide nostram orationem de quibusdam Westphaliæ viris doctrina illustribus, qui latinam linguam per Germaniam restituerunt. Qui fuerunt ipsius discipuli, dicunt ipsum aliquot Luciani dialogos vertisse, & elenchem librorum Erasmi Roterodami carmine edidisse. Jocose de illo scripsit Erasmus: Quod mallet esse obesulus, quam poligraphus, &c. Mortuus est Lovanii anno 38. vir in illa Academia magni nominis & Professor Oratorius.

CONRADUS HERESBACHIUS (qui Wesalia moratur etiam hodie, ut opinor) transtulit quedam in posterioribus libris Grammatica Introductionis Theodori Gaza, quam Basileæ Curio excudit anno 1523. Item Herodoti Halicarnassæi librum de genere vitæque Homeri. Recognovit ad Græca exemplaria ejusdem Herodoti libros novem, & cum in cæteris libris multa quæ deerant, adjecit, tum in primo libro plus minus novem folia, opus excusum Colonia anno 1526: Item Strabonis Geographi-



am à Gregorio Tifernate & Guarino Veronensi ut putatur conversam denno recognovit & plerisque locis de integro vertit. Similiter *Thocydidis libros de bello Peloponensium* excusos Coloniae 1527. *Lexicon Graeco-latinum* etiam à Curione olim impressum, locupletavit, &c. Hæc ibi. Hic fuit informator Illustriss. Ducis Juliae, Cliviae, & Montis, *Wilhelmi*, &c. quem in præfatione ad istum Duce[m] operis Apophthegmatum Erasmus Roterod. vocat virum omni literarum genere absolutum; idem dicit in præfatione Tusculanarum Quæstionum, Nihil illo esse absolutius, sive spectetur utriusque linguæ peritia, sive scelicitas ingenii, sive morum comitas in ipso, &c. Hic factus est postea Doctor Juris & Consiliarius Principis Clivensis, veritatis Evangelicæ amans: Si quid præterea scripserit ignoro.

THEODORICI DORSTENII, *medici, Botanicon* continens herbarum, aliorumque simplicium, quorum usus est in Medicinis, descriptiones & imagines ex præcipuis utriusque linguæ autoribus cum corollario eorum quæ à neotericis observata, usuque comprobata sunt. Egenolphus excudit Francoforti anno 1540.

TILEMANNUS, *Dulmaniensis Westphalus*, ordinis S. Augustini Canonicus, scripsit *volumen de laudibus B. Mariæ virginis*, quod Cononam sanctæ Mariæ inscripsit: Item super illis verbis Domini: Nisi qui conversus fuerit, sicut parvulus, tractationem longam, &c.

JOANNIS ÆLII (qui fuit *Monasteriensis* & ibidem per multos annos *Paulinae Scholæ Rector*) *oda Spirituales*, liber impressus: Sic enim habet catalogus officinæ Hervagii, &c. Hæc ibi. *Vir fuit doctus, in historiis versatus*, qui nobis pueris, tunc paucis post solutam obsidionem annis ibidem operam literis dantibus solebat *Lexicon latinum*, *commentaria in aliquot historias* & *in Psalterium promittere*. Sed nihil eorum fuerat integrum in ipsius Bibliotheca inventum à fratre M. Everhardo Ælio, qui fuit *quatuor Episcoporum Secretarius*: Decreverat quoque *correctum Tertullianum* dare, sed sæpe conquerebatur *Beatum Rhenanum*, anteveritisse ipsum: Edidit *alia quadam carmina* ad juventutem ex officina *Zwiveliana*, ex quibus *Sapphycum vidi de pace*, doctum certe & pulchrum: *Henricus Vruchterus*, ipsius *Corrector*, edidit anno 30. quoque ad ipsum *doctam elegiam*, in qua eum nomine eruditionis miris modis celebrat.

HENRICUS VRUCHTERUS, *Olphenius*, ex *Diogenis Laertii* de vitis Philosophorum libris *sententias* & *apophthegmata* excerpfit & suis *scholiis illustravit*: liber impressus Coloniae apud Gymnicum anno 1530. Hæc

Hæc ibi. Iste autem liber erat dedicatus Osnaburgensi Canonico, Joanni Gotliken, &c. Antea quoque ediderat *carmen Heroicum Monasterii de intemerata Maria virginis conceptione & mira ejusdem nati omnipotentia: Rexit Osnaburgæ Scholam & Monasterii ad S. Martinum, & fuit diu Elii Corrector: Scripsit etiam literas invectivas & falsa epigrammata in Joannem Glandorpium, Monasteriensem, pro se & suo Elio, qui tamen magnus fuit Epicuræus: sed superabatur uterque longe multumque eruditione à Glandorpio: postea se is *Vruchternus dedit officio quod à ferendis literis Monasterii nomen habet, & adhuc dicitur superesse admodum senex.**

ANTONIUS TUNICIUS quædam scripsit carmine, &c. Hæc ibi. Hic fuit diu collaborator in Schola Paulina sub TIMANNO CAMENERO in Schola Monasteriensi, ut erat Monasteriensis, &c. Et evulgavit proverbiales sententias à se versibus redditas: evulgavit quoque *Examem vel Enchiridion de Principis octo partium orationis: collegit etiam selectiores Epistolas Sabellici: atque deinde multa illius extant epigrammata in diversorum librorum commendationem: edidit etiam ex Cicerone, Politiano & Philelpho epistolas selectas, &c. vixit adhuc an. 1544. admodum senex, in summo templo Monasteriensi tunc opimus vicarius existens.*

JOANNES MURMELLIUS, Ruremundensis, (qui per annos 13. Monasterii vixit & maximam ibidem prælectione & Rodolphi Langii instructione, & ipsius Langii Bibliotheca perlustranda eruditionis suæ copiam consecutus est, & suos libros potiores scripsit) multa scripsit, inter quæ *Isagoge in Prædicamenta Aristotelis, impressa Colonia cum Dialectica Cæsarii: Sententia seu versus sententiosi ex elegiis Tibulli, Catulli, Propertii & Ovidii decerpti, singuli cum brevi inscriptione argumenti, Georgius Rhau excudit Wittenbergæ 1533. Tabula Grammaticæ impressæ Parisiis apud Wechelinum (& Colonia & Monasterii) Tabula in artis componendorum versuum rudimenta ibidem excusa, (& in multis aliis locis: Scripsit etiam in istas Tabulas de componendis versibus commentaria Eobanus Hessus) Tabularum opuscula tria in Epitomen redacta, impressa Lugduni 1542. Nucleus, Pappa, libellus de arte verificatoria & alius de generibus nominum, item commentarii sive Ecphrasis simul & Scholia in *A. Persi Satyras: singula seorsim exierunt Colonia ex officina Gymnici, quibus addita est Hermannii Buschii epistola. Commentarios in libros quinque Severini Boetii de consolatione Philosophiæ, partim Joannis Marmellii, partim Rodolphi Agricolaë (hic**

erratur, quia *Rodolphi Langii* sunt) excudit Coloniae Cervicornus. Claruit anno 1513. Haecenus ex Bibliotheca & epitome. *Murmellius* etiam scripsit adjecta explicatione sua, carmine *de compositis verborum libros duos ad Ludolphum Heringium*, qui cum aliquoties fuerint ante annos 50. excusi, denuo editi sunt nuper Monasterii cum praefatione *Bernhardi Lingii*: Scripsit ad eundem *Solia in Cypriani carmen de ligno saluiferae crucis*: Scripsit *Solia ad Petrum Nehemium Drolshagium*, in *Versilogum Mancinelli*: argumenta in *Bucolica Mantuani*, Scripsit etiam quatuor libros *elegiarum Moralium ad Rodolphum Langium*, quem singulis libris ad caelum usque extollit & infinitis celebrat laudibus: Scripsit etiam & *libros duos Didascalicos*, in quorum altero agitur de artibus, altero parænesis ad ingenuarum artium studia continetur, in quibus aliquoties honorificam sui Praeceptoris *Alexandri Hegii* mentionem facit: collegit etiam *memorabiles aliquot clausulas ex Iuvenale*, item edidit *protrepticon poetantium*: Scripsit ad *Joannem Alexandrum Meppensem & Hermannum Stuvium* (quorum posteriori etiam *Tabulas grammaticas* dedicavit) *Scoparium* ad profligendam Barbariem è Scholis librum apprimè eruditum, Scripsit *Eclogas* anno 4. in quibus bis *Hammensem urbem* carmine celebrat. Edidit quoque anno 1502. *Sapphyco* carmine descriptionem *urbis Monasteriensis*, Scripsit in *salutationes angelicas carmen & in Florea Diva virginis Mariae septa paean triplex*, Scripsit in *laudem Caroli Geldria Ducis Caroleia carmina* varii generis: *Epigrammata* ejus quaedam ad *Philippum de Horde*, *Monasteriensem Praepositum*, prodierunt *Monasterii* anno 10. & *Daventriae* alia quaedam *parenetica* anno 16. prodierunt, quo etiam tempore scripsit *laudem de Reuchlino*: Scripsit etiam in multorum librorum commendationem varia & doctissima epigrammata, Scripsit etiam *libellum de hymnis Ecclesiasticis*, collegit etiam ex *Hieronymo sententias*, Scripsit quoque *commentaria in Prudentium & in Rusticum Angeli Politiani*, Scripsit quoque *commentaria in Iovinianum Politiani* anno 10. *Monasterii* dedicata *Hermanno Torrentino*, &c. Fuit *Monasterii* per annos 11. *Convector Timanni*, & per triennium *Rektor Scholae Lutgeriana*. Tandem decimo quarto post 1500. anno venit *Alcariam*, ibique instructa *Schola* clarebat, sed incendio *reductus ad paupertatem* venit *Daventriam* anno 1516. ubi postea anno sequenti 2. Octobris obiit, non sine suspitione veneni, ut hoc *Buschius* in *Epitaphio* conqueritur, atque id *Rostochii & Monasterii* dixerat *Hermannus Heringus*, qui adfuerat morienti, Scripsit quoque de ejus morte *Henricus Bers*, Reliquit autem *Murmellius uxorem ac filiolum in paupertate*.

PETRUS GODOFRIDUS REMELIS ( qui fuit primo *Timanni Collega & collaborator in Scholis, & postea factus est Sacellanus ad D. virginem trans aquas Monasterii* ) *Tabularum opuscula Joannis Murmellii in epitomen redegit, quam Gryphius Lugduni excudit. Eiusdem extant quoque in eadem officina erotemata vel Isagoge in primas literas anno 1538.*

THEODORICUS ZWIVELIUS *de numeris* scripsit librum impressum. Hæc ibi. *Theodoricus autem Zwivelius senior, fuit Typographus Monasteriensis tempore Murmellii, qui etiam ad illum plurima scripsit, Selectiores versus ex Tibullo, Propertio & Ovidio collectos ipsi dedicavit. Extant quoque in libris elegiarum Moraliū Murmellii, duæ elegiæ ad hunc Theodoricum scriptæ, ubi inter cætera ait:*

Tu qui certa piò meditare mathemata corde,

Altaque semoti suscipis astra poli, &c.

Hic quoque *Theodoricus* evulgavit *Aritmeticum libellum inscriptum Murmellio. evulgavit etiam Musica quædam & inter cætera, Tonarium & varietatem in Alleluja, &c.*

ANDRÆ ORNITHOPARCHI *de arte cantandi libri 4. recogniti, quos excudit Gymnicus Colonia anno 1535. Hæc ibi. Hic fuit Monasterii ad D. Ludgerum magister, & scripsit quoque Micrologum de Musica activa, cui adjecit suos quosdam versus, Huic etiam Gueringius selecta sua carmina ex satyris dedicavit.*

HERMANNUS Kersenberg ( *Kersenbroick* ) descripsit bellum *Monasteriense, &c. Hæc ibi. Hic ex Comitatu Lippia oriundus rexit Scholam Hammona per biennium, deinde jam ab annis 14. usque in diem hodiernum Monasterii præest Scholæ non sine laude, qui Heroico carmine descripsit bellum Monasteriense ad Franciscum Episcopum, edidit epitamen Dialecticæ Casarii, & pleraque alia in usum suæ Scholæ collecta. Dicitur aliquid meditari de Westphalica historia, quod propediem dabit.*

ALEXANDRI HEGII, *Daventriensis Germani, carmina aliquot citantur in Adagiis Erasmi, item ab aliis de laude Græcarum literarum. Hæc ille. Jam Hegius non fuit Daventriensis, sed Westphalus in ditione Monasteriensi ex pago Heek prope Horstmariam natus, Daventria autem per annos 30. rexit Scholam magna cum laude, & primus cum Rodolpho Agricola & Rodolpho Langio reduxit latinam & græcam linguam in Germaniam ( de qua re vide nostram orationem de viris Westphaliæ illustribus, qui linguam latinam restituere Germaniæ ) & fuit præceptor Erasmi Roterodami, Joannis Murmellii, Hermanni Buschii, & omnium in Ger-*

mania pene Doctorum, qui ante annos 60. & 50. floruerunt, &c. Scripsit multa, quæ maxima ex parte dicuntur post ejus mortem proditisse, vel invito illo edita esse: *Dialogi* ejus extant *multi*, primus *de scientiis*, 2. *de tribus animæ generibus*, 3. *de Physica*, 4. *de sensu & sensibili*, 5. *de arte & inertia*, 6. *de Rhetorica*, 7. *de Moribus*, 8. *de Natali Salvatoris*, 9. *de utilitatibus artium*, *Grammatica*, *Logica & Rhetorica*: Scripsit quoque *Inventionem* contra librum quendam barbarum dictum, *Modi significandi*. Edidit quoque *farraginem vocabulorum* quorundam & dictorum: Extant & in suis atque simul Rodolphi Agricolæ *epistola Hegii ad Agricolam & Wesselum Gronigensem data*, & rursum Agricolæ quædam ad ipsum: *Magni fecit ipsum Agricola*, & Hermannus *Buschius*, *Erasmus* & *Murmellius* eundem multis præconiis celebrarunt: Idem *Hegius* voluit quoque *carmine*. Nam scripsit pulchram *elegiam de aurea mediocritate*, item *epigrammata aliquot ad sanctos quosdam, ad ipsum Christum* sic inter alia scribit:

Roboreo pressus trunco rex orbis Jesus,  
Fasce gravi venit namque levare suos, &c.

Item rursum scripsit *epigramma ad puerum Jesum* quod sic incipit *Alpha* vocaris & *O*, quia fons & clausula rerum es, Scripsit *in saluatore Christi natalem hymnum suavissimum*: *Monosticha* quoque eudit de *Nativitate Christi*. Emisit quoque hymnum metro *anapæstico* de *Natali Domini*, item *Monosticha de Passione Christi & in gloriosam Christi Resurrectionem*, ubi sic inter alia scribit:

Morte sua cœli portam patefecit Jesus.

Extate ejus *carmen de utilitate græcæ linguæ*. Scripsit *Sapphicum* in *habendi amorem* & ad *Mariam virginem*: item *Sapphicum ad colendas Musas & contra otium*, variaque carmina *diversi generis*: Scripsit *doctissimum Epigramma ad Hermannum Buschium*, atque deinde ad *Langium & Buschium Poetas Westphaliæ equestris ordinis*. Scripsit *idem Ottoni de Lippia, & Rodolpho de Deipholt*, utrique *Trajectensi Episcopo*, *Epitaphium* tribus *elegiis*, ubi inter alia sic de *Lippiaco* scribit:

Illustris Princeps dignus, quem carmina laudent,  
Lippiacæ stirpis, qui decus & specimen.

Illa omnia fere sunt *Daventriæ excusa* anno 1501. Nihil amplius vidi ab *Hegio* profectum. *Confectus senio* fuit *Sacerdos Daventriæ* & admodum liberalis fuit in *pauperes scholasticos*, sic mihi dicente *Henrico Risen* Monacho in *Mollenbeck*, qui fuit ejus auditor eodem anno quo mortuus est admodum senex, &c.

JOANNIS RIVII, *Atthendoriensis*, castigationes plurimorum ex Terentio locorum, in quibus obiter quidam explicati sunt. Joannes Gymnicus impressit Coloniae 1532. *Castigationes locorum* quorundam ex Bruto M. T. Ciceronis & ex oratore & epistolis familiaribus ejusdem adjecta nonnullorum explicatione, Joannes Soter excudit Salongiaco 1537. *Descriptio Marienbergi*, impressa Lipsiae, anno 1541. *De instaurata renovataque doctrina Ecclesiastica* libellus ibidem impressus: *De iis disciplinis*, quae de sermone agunt, ut sunt *Grammatica, Dialectica, Rhetorica*, libri 18. excusi Lipsiae anno 1543. (hic liber Trivius appellatur) & anno 1551. apud Oporinum Basileae. *De familiari cujusque genio seu de praesidio angelico* libellus impressus Lipsiae. *De conscientia* libri tres, *Asseritio communionis sub utraque specie* contenta quatuor epistolis ad Joannem Fabianum, *epistola de sola fide, de spectris & apparitionibus umbrarum*, seu de veteri superstitione liber 1. Item *de consilio Dei in celando mysterio redemptionis humanae* libri 3, excusi Basileae apud Joannem Oporinum anno 1545. *Quo pacto se juvenus in hisce religionis dissidiis gerere debeat* libri 2. impressi Basileae anno 1546. *De stultitia mortalium in procrastinanda correctione vitae, de consolandis agrotantibus iisque ad mortem animandis* liber, *de erroribus Pontificiorum seu de abusibus Ecclesiasticis*, excusa Basileae anno 1546. *De seculi nostri felicitate & hominum erga Dei beneficia ingratitude* liber 1. *De titulo & inscriptione salutiferae crucis* libellus, *de perpetuo conflictu piorum cum carne, mundo, diabolo*, seu de lucta Christiana: *de officio Pastoralis ministrorum Ecclesiarum in pagis: De vero erga Deum amore*, libri illi sunt Basileae excusi anno 1548. *De perpetuo piorum gaudio in hoc seculo* libellus excusus Basileae apud Oporinum anno 1551. Item *de vita & moribus Christianorum* libri tres ibidem excusi. Hic fuit *Præceptor Mauricii Electoris & fratris ejus Augusti quoque Electoris*, & claruit in Misnia urbe & Regione, ubi etiam mortuus est.

JOANNIS POLLII, *Westphali*, (*Bileveldensis*) *Ecclesiasta in Westphalia sub ditione Conradi Comitis ab Tecklenburg*, poemata aliquot excusa Marpurgi apud Egenolphum videlicet *de tribus monstris Ecclesiam vastantibus, de gratia Dei, fide, spe, & charitate, de jejuniis, prece & cruce* piorum, Ex epigrammatis ejusdem, panegyrica quaedam ad heroes Evangelii studiosos: *Epitome rerum memorabilium nostro tempore gestarum*: Eadem Tiguri excusa sunt adjectis ejusdem auctoris Ecclesiastomoriae sermonibus quatuor, & epistola ad H. Eobanum Hessum & altera ad Justum Wintherum. Hæc ibi. Dicitur multa alia scripsisse, quæ nondum quod

quod ego sciam, prodierunt, vixit diu & mortuus est in mea patria Os-  
naburgensi urbe, ut suo loco in Ecclesiastica historia dicetur latius:  
*Ipsam celebravit publico epigrammatis encomio Eobanus Hessus.*

ANTONII CORVINI, Zytogalli, (Warpurgensis) opera latina  
quæ nos vidimus sunt, argutissima quæque *apohiegmata* ex Erasmi Ro-  
terodami opere selecta, inque locos communes redacta, in commodum  
Juventutis præsertim Goslarianæ, Halæ Svevorum 1539. excusa: *Psal-  
tilla in Epistolas & Evangelia* cum de tempore tum de sanctis totius an-  
ni, quæ Argentorati Cephalæus excudit. *Expositio Decalogi, Symboli  
Apostolici & Dominica precationis* ad captum puerorum in dialogis-  
rum libri 3. in commodum Theologiæ candidatorum scripti, quos Ce-  
phalæus Argentorati excudit anno 1539. *Antitheses vera & falsa Ecclie  
à Luthero Germanicè scriptas, latine reddidit*, libellus impressus anno 1541.  
Ejusdem *Epistola de Anabaptistis Monasteriensibus* inserta est libro Ge-  
slii de Anabaptismo, hæc ibi. *Scriptit Theologiam ex Augustino & Chry-  
sostomo, librum valde utilem piis contra Pontificios certantibus*, quem  
excudit Brubachius Francoforti: Edidit quoque Hannoveræ *scriptum  
de communione utriusque speciei contra Papistas*: Scriptit quoque & excu-  
gavit præcipuos locos *Evangeliorum Dominicalium*. Et ordinatio nec non  
*Catechismi dispositio*, constituta in ditione Brunsvicensi, quæ paret magis  
Erico Duci, sub nomine Ducissæ Principis matris Erici edita, ab illo  
conscripta: Scriptit etiam ad aliquot nobiles *de nobilitate scriptum Ger-  
manicum, atque consolatorium quendam libellum*: Postea is est vinculis  
traditus ab Erico Duce, sed tandem liberatus intercedentibus ditionis  
proceribus, vixit deinde Hannoveræ donec ibidem moreretur. Quis  
is in Westphalia egerit, suo loco volente Deo, hoc est, in Ecclesiastica  
historia Westphaliæ dicetur, &c.

JACOBUS MONTANUS, Spirensis, scriptit *de Passione Christi carmi-  
ne elegiaco* libros 4. impressos Basileæ apud Hervagium. *Ejusdem hymni  
per dies festos totius anni vario carminum genere*, impressi sunt Colonia  
& Monasterii. Ejusdem *Heros Tarsensis de vita D. Pauli carmine* Heroicum  
liber excusus in 4. Item *castigationes in Ambrosii Calpini Lexicon* cum Ca-  
leptini Dictionario excusæ Colonia apud Joannem Prael. Claruit anno  
1538. Hæc ibi. Hic *scriptit odas spirituales* vario carmine, ubi sanctos pub-  
licè celebrat: *Sapphycæ* autem ibidem *Adventu Nativitate, Epiphaniæ,  
Conceptione Christi, Maria Purificatione, Annunciatione & Visitatione*  
icem

item de *Christi cruce, passione & Resurrectione, in calum ascensione, de missione Spiritus S. de Sacramento corporis Christi, &c.* Et ex eolibro sunt à quodam studioso selectiora quædam carmina in certum volumen anno 39. Basileæ collecta. Idem *Montanus* conscripsit *vitam illustris Domina Elisabetha Hungarorum Regis filia*, stilo elegantissimo anno 11. Monasterii, atque ut huic libro, ita & odis præfixit commendatorium epigramma *Murmellius*: *In usum Scholarum scripsit latina constructionis Thesaurum*, emisit quoque *collectaneam latinam locutionis doctissima*, item *Centuriam epistolarum formularum* edidit ad D. M. *Rodolphum Mollerum* tunc *Hervordiae* Rectorem Scholæ, quæ omnia *Coloniæ* sunt excusa. Hæc omnia aut *Monasterii* aut *Hervordiae* scripsit, ubi *in domo fratrum* vitam transegit & tandem moritur *Hervordiae*, de quo plura in *histor. Eccles.*

**GERHARDUS LISTRIUS**, *Rhenensis* (quanquam multi dubitent an sit oriundus ille ex oppido ditionis *Monasteriensis Rhenen*) edidit *Ultranjeclina regionis*, quæ *Batavia* finitima est, *descriptionem carmine Hexametro & quorundam ejusdem diæcesis Episcoporum laudes*, impressam *Marpurgi* ab *Egenolpho* cum variis historiis Germanicis 1542. Scripsit quoque doctum *commentarium in Moriam Erasmi*, excusum *Basileæ*: Et in *Dialecticam Petri Hispani* *commentarium Swollæ* excusum. Hæc ibi. *Extat ejus libellus de octo figuris constructionis*. *Habitus* fuit olim doctis suspectus de sublato *Murmellio*, &c.

Putant quoque nonnulli **HERMANNUM TORRENTINUM**, fuisse *Westphalum* & propterea dictum *Torrentinum*, quod forsan originem traxisset ex oppido *Becchem* ditionis *Monasteriensis*, quasi *Torrens*, sed is fuit *Swollanus* teste *Murmellio* & multa utiliter scripsit, &c. Ita quoque sunt qui dubitant de **JOANNE PERRENNIO**, *Burensi*, qui scripsit *elegias de aliquot Parabolis novi Testamenti*, excusas *Wittenbergæ*, &c. an sit ex oppido *Buren* ditionis *Paderbornensis*, vel inferioris *Germaniæ* in *Brabantia*, natus? non constat.

**GERHARDUS** quidam **ZUTPHANIENSIS**, *Gymnasii Coloniensis* olim decus, scripsit *questiones Sententiarum notabiles* in libros quatuor congestas. *Questiones etiam Quodlibetarias* ordinavit, in quibus multa pro eruditione discipulorum determinat.

**HENRICUS PRIMÆUS**, (*Buschoducensis*) *Gymnasiarcha* apud *Monasterienses* (ad D. *Martinum*) scholiis illustravit libellum *Erasmi Rotterodami de octo partibus orationis*, liber *Coloniæ & Tiguri* impressus, Hæc ibi. Hic etiam fuit *Minda Corrector* apud D. M. *Rodolphum Mollerum*



rum (qui adhuc Hamelungæ superest jam senex in Decanatu collegii) & tandem *Embeca* in incendio perit.

SEBASTIANUS NOVIMOLA, *Duisbergensis*, *Joannis Despanterii Syntaxin* in absolutam redegit methodum. Huic accedunt, *Libellus de reciprocis ac ordine in declaratione grammatica servando*: Eiusdem de *syncategorematis, de proprietate graduum comparationis & de speciebus numeri* libellus utilissimus, &c. omnia excudit Gymnicus anno 1539. Hæc ibi. *Ille est Licentiatuſ Theologia Coloniae & multis etiam hodie optimis præbendis onustus, Lutheranis valde infestus, an quid in Theologia scripserit ignoro.*

EBERHARDUS TAPPIUS, *Lunensis*, scripsit *Germanicorum Adagiorum* cum latinis ac græcis collatorum *Centurias septem*, quas Rihelius excudit Argentinae anno 1539. Scripsit etiam *epitomen Chilianæ Erasmi*, impressam Coloniae anno 1542. apud Gymnicum, item *libellum Germanicum de Accipitrum & Falconuſ natura* impressum Argentinae, &c. Hæc ibi. *Is promittit centuria nona, proverbio vel adagio 10. se latius explicaturum esse proverbia Westphalica, quod an fecerit, ignoro.*

Refertur etiam in Epitome & Bibliotheca de THEOBALDO THAMERO, qui in apostasia (sic enim libet loqui) aliquandiu *Münsteri* vixit, sed quia de illo rectius in historia Ecclesiastica Westphaliae agitur, nunc præterimus illum.

JOANNIS de WESALIA *paradoxa*, quæ feruntur ex illius concionantis ore fuisse excerpta, impressa autem cum descriptione *Basilienſis Concilii* per Æneam Sylvium, Eiusdem *examen magistrale ac Theologicale præſidentibus hæretica pravitatis inquisitoribus*, &c. Hæc ille. Quomodo is damnatus sit Maguntia & de illo sentiendum, videre licet in Catalogo testium veritatis, qui ante nostra tempora reclamaverunt *Papæ*, ab Illyrico collecto, &c. in editione 2. folio 560. *fuit familiaris Wesselo vel Basilio Groningensi, & valde illustravit primo Scholam Erphurdienſem, ubi Doctor Theologiae promotus est, postea Wormatiæ publice docuit.*

VIGILIUS ZUICHEMUS, *Frisius J. C.* (qui aliquando *Monasterii Officialis* fuit) *Theophili* antecessoris *Institutiones Juris civilis* in græcum sermonem translatae in lucem dedit cum doctissima præfatione ad *Carolus V. Cæsarem*. Scripsit etiam *commentaria in decem titulis secundi libri Institutionum Juris civilis*, impressa Basileæ in officina *Frobeniana*. Fuit magnus in *Aula Brabantina*, &c.

CYPRIANUS VOMELIUS (*Frisius*) scripsit *Odam ad Deum* opti-

optimum maximum pro tranquillando orbis statu, Item librum *Miscellaneorum*, hæc Argentorati sunt excusa anno 1544. &c. Hæc ibi. *Vixit hic in Conrektoratu aliquandiu Tremonie apud D. Scavasten*: Atque ibi edidit *Introductionem Arithmetices*, deinde alia *quadam Epigrammata* ad diversos ibidem publicavit ut Poeta erat: Scripsit antea *carmen in commendationem Plautinarum Comædiarum Magdeburgi*, Scripsit & *Moguntiae* quædam epigrammata, ubi nunc vivit, & est *Doctor J. U.*

JACOBUS SCÆPPERUS, *Tremon.* scripsit *Monomachiam Davidis & Goliath* Tragicomædiam. Hæc ibi. Scripsit quoque *de decollatione Joannis Baptista* Tragœdiam, *de ove perditâ* comœdiam, deque quibusdam aliis parabolis & historiis Evangelicis, Tragœdias & Comœdias, Scripsit duos *Catechismos & Postillam*, quam mortuo illo edidit *Joannes Scavastes, Doctor Juris, &c.*

JOANNES MONHEMIUS, *Erverveldensis, Joannis Deshaunterii* Grammaticam in *Methodum* redegit excusam *Coloniæ*, item opus de *conscribendis Epistolis* in *Compendium* redegit *Tiguri & Basileæ* excusum: Scripsit *Compendium Grammaticæ Græcæ* *Coloniæ* excusum. *Epitomen Dialecticæ & Rhetoricæ* ex optimis autoribus excerptam, excusam *Coloniæ*, Adhuc aliam postea edidit *Dialecticam Dusseldorpii* ad *Joannem Gogrevium, Cancellarium Juliacensem, Methodum Arithmeticæ, & Elementorum Physiologiæ* libros 4. *Coloniæ* excusos. Hæc ibi. *Multa quoque scripsit in usum suæ Scholæ*, primo *Catechismum ex Erasmi scriptis collectum*, postea *Christianum admodum*, quem refutare voluerunt *Colonienses Theologi*, sed illis multi responderunt pro *Monhemio*, inter quos ego minimus sum. *Vivit adhuc in regimine Scholastico Dusseldorpii*, vir integer & pius, & hæcenus multa scripsit, quorum pleraq; non vidi.

GEORGIUS CASSANDER (qui aliquandiu in nova *Principis Juliaci Academia Dusbergiana* docuit & ideo nunc nostris adnumeratur) scripsit de *viris illustribus, qui ante Procæm & cum Pompejo fuerunt*. Quæ simul cum *Plinii de viris illustribus libello* *Coloniæ* per *Gymnicum* excusa sunt: Ejus oratio in laudem *urbis Brugarum*, &c. *Tabula breves & expeditæ in Rhetoricæ præceptiones Antwerpiae* excusæ apud *Joannem Steellsum*. Idem scripsit de *viris illustribus, qui commemorantur in sacris Bibliis* usque ad *Regum historiam*. Hæc ibi. Scripsit quoque contra *Anabaptistas de pædobaptismo tractatum* ex *Patribus*, item *Liturgicæ* edidit; *Emisit quoque preces Ecclesiæ* in unum collectas, atque nunc excudi ejusdem *librum de Eucharistia* *Coloniæ* audio: deinde edidit *Vigilii* ope-


*ra integra cum erudito tractatu de natura utraque divina & humana in uno Christo. Partim Coloniae, partim Dusbergi vel alibi in locis Illustrissimi Duci Cliviae Juliaeque subditis agit vir admodum vetustatis Ecclesiasticae studiosus & peritus, multae simul lectionis & magnae eruditionis, &c.*

CLARISSIMI VIRI,

M. RODOLPHI MOLLERI, Westphaliae  
Inspectoris Ecclesiae Hamelensis & ibidem in collegio  
Decani,

Epigramma extemporale in scripta HAMELMANNI de  
Westphalia & ejus viris illustribus.

Lector, *Hamelmannus* Patriae numeravit alumnos  
Illustres aliquot, quos imitare tibi.  
Quos nec mors poterit, nec longa abolere vetustas,  
Namque viget virtus nescia vera mori:  
Et monet, ut tales sectari nostra Juventus  
Discat, & in sanctis laudet ametque Deum,  
Saxoniae veteris quae quondam nomen habebat,  
Floruit his doctis Westphala terra viris.  
Aequae hominum, pecorumque ferax, nemorosa, ferarumque  
Dives, agri multis fertilis ipsa locis:  
Limitibus gaudet Rheni rapidique Visurgis,  
Arcibus adjungit oppida clara suis:  
Gens alia haud unquam toto sic orbe vagatur,  
Grata quidem & Dominis officiosa suis,  
Inter Germanos bellatrix, fortis & audax,  
Caesaris invicti castra secuta fuit:  
Fortiter *Harminium* juvit, *Varumque* repressit,  
Gessit & in *Francos* bella cruenta diu:  
Tres & terdenos pugnans *Wedekindus* ad annos,  
Tandem ultro Christi sub juga missus erat.  
Ultere feliciter, doctus quos scripsit HAMELMANN  
De Patria libris, sis quoque gratus ei.



*LIBER QUARTUS*

**VIRORUM WEST-  
PHALIAE SCRIPTIS & DO-  
CTRINA ILLUSTRATIUM,**


Qui continet claros & celebres ali-  
quot viros ditionis Monasteriensis,

*qui à*  
TRITENHEMIO, KRANTIO, GESNERO, LYCO-  
STHENE & SIMLERO  
*non recitantur,*

*Autore*  
HERMANNO HAMELMANNO,  
Licentiate Theologo.

---

*Semper in premisis tribus libellis rogavi pios Westphalos, ut illos doctos cele-  
bresque viros, quos praeterirem ignorerem, mihi per literas indicarent,  
quò sequentibus infererentur libris: id autem spero me à cordatis im-  
petraturum. Itaque adhuc quarto idem reverenter ab omnibus rogo &  
peto: omnes enim doctos cuperem laude sua ornare, &c.*



*Amplissimo, Nobilitate, Consilio, Doctrina, Eloquio,  
virtute ac vera pietate excellenti Heroi,*

Domino WILHELMO KETLERO, quondam  
Monasteriensium Principi ac Præsuli dignissimo, &c.

*Suo & omnium studiosorum Patrono gratiosissimo:*

Nec non ejusdem fratri celebri, stemmate, integritate, pietateque  
non minori prædito Viro,

Domino JOANNI KETLERO, Satrapæ in Erver-  
velde, Hæreditario possessori Castri Nesselrath:

*Atque egregio imaginibus & candore insigni*

Domino FRANCISCO de WENDE, JUNIORI,  
Hæreditario possessori Castri antiqui quondam Illustrium Burgra-  
viorum de Stromberg, Craßenstein, &c.

*Suis Dominis & Patronis colendis,*

HERMANNUS HAMELMANNUS, Lic. Theolog.  
gratiam & pacem precatur à Christo.

**T** *Ambis, hoc est, in præfatione libri secundi & libri tertii virorum Westphaliae doctrina & scriptis illustrium, rationem dedi, cur certos libros Doctorum hominum Westphaliae scientia & scriptis celebrium in lucem præterudam: Et credant pii Lectores me non alia de causa, quam olim Trithemius Catalogum doctorum Germania, & simul virorum illustrium sui ordinis publicavit, istos quoque prelo committere, ut & ego patriam inseruiam. Quare cum haberem præter eos, quos Trithemius in suo catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & Krantius in Metropoli, atque Gesnerus in Bibliothecis ipsiusque abbreviatores Lycosthenes & Simlerus in suis epitomis recitant, (qui etiam jam antea à nobis inde excerpti sunt atque in tres libros digesti) adhuc bonum numerum doctorum hominum & celebrium doctrinam ac scripta virorum, ditionis Monasteriensis, cogitabam illum omnino non supprimendum, sed in aliquem proprium librum redigendum esse. Redactus ita nunc in suum ordinem liber quartus prædit: Et quanquam non omnes forsan rectos fuerim, vel etiam referre potuerim, veluti in enumeratione oppidorum Westphaliae præterea quoque ex ignorantia in ista etiam ditione oppida Vurdam (Burdar) Scoppingam, Rantzdorpiam, tamen peto illos, quos ita ignoran-*

ter prætereo, mihi à bonis viris per literas indicari, ut sequentibus libris honeste inferantur. Nullum equidem cuperem sua laude fraudare. Cum autem huiusmodi nostros labores meis etiam gravissimis sumptibus edere decrevissem, ut alios publicavi, cogitavi quoque de Patronis quærendis; Interim verebar, Heros Clarissime & Præstantissime Domine KETLERE, tuum cognatum & successorem, celeberrimum & excellentissimum Principem D. Bernhardum à Rasfelt, nunc Præsulem Monasteriensem, tum ipsos Magnificos, Nobiles & Spectabiles Dominos Capitulares Summi templi cum reliquis collegiis, atque adeo Eximium & Prudentiss. Senatam urbis Monasteriensem, (cujus animum in me propter religionem alienum nuper sensi) propter confessionem sinceræ doctrinæ à me & voce & scriptis editam, non a quo animo suscepturos fuisse libellum, quem eis tanquam proprium merito dedicare debuissim: Itaque mecum expendens, quod in oratione, quam superiori anno sub tui nominis auspicio de quibusdam Westphalia viris doctis, qui linguam latinam per Germaniam restituerunt, &c. in lucem dedi, plerosque doctorum hominum, quorum vitam & scripta ab ipsis elaborata hic breviter inter ceteros describo, recitasset, iniquum censebam, si jam te præterito ad alium quempiam transferrem munus simile & non in eadem familia & patrocinio manerem. Censui igitur eodem me potius præstantissimo, hoc est, tuo tanquam viri cordatissimi & pretiosissimi, auspicio deinceps fruiturum, quam alium Meccenatem quaesiturum esse: Et quotusquisque non te eligeret Patronum, Heroem nempe tam sanctum, tam piæ, tam eximium omnium mundi pomparum contemptorem, denique virum omni pietatis ac virtutum donis cumulatissimum? Tu enim consilia privata & publica ad normam verbi DEI dirigere conaris, & licet te ipsum conscientia & veræ religionis causa, ultro & volens abdicaveris regimine tanti Principatus, tamen sæpe jam (sine dubio invitus etiam) ad deliberationes pertractus à Magnatibus, summa reverentia Excel. Principes (qui tuo consilio, ope & prudentia non tantum uti cupiunt, sed simul illa dona, quæ in te contulit Deus, valde mirantur & prædicant) in gubernatione utiliter adjuvas: Scio etiam te hoc unum in votis habere & cogitare, ut ubique in Westphalia Ecclesia rectè erudi possent: tu vero quoque custos duarum rerum præcipue esse videris, puritatis doctrinæ cælestis, concordia docentium, atque deinde pacis politica ac tranquillitatis communis: T. Cels. KETLERE amplissime, fovet studia literarum, quæ eo magis amat, quia ipsa præclare erudita est, legitque historias tum sacræ tum profanæ diligenter, atque latine rectè & splendide loquitur & scribit: commentaria antiquorum Ecclesia doctorum & eorum, qui nostro tempore scripsere, voluit & revolvit diligenter, nec parum oblectationis habet

ex aliis scriptis, qua hodie utiliter prodeunt: Et ut semel dicam, tu Wilhelme laudatissime fuisti & adhuc es exemplum optimi Principis in publica & in privata vita. Retulisti in Præfulatu Basilium, qui ut Nazianzenus scribit in *Monodia*, tempore famis, succurrebat pauperibus, affatim omnibus dando, sic & te fecisse audio Anno LVII. quando summa istis in locis esset annonæ caritas, imo cum jam deponere Præfulatum alioqui amplissimum decreveras non eurans honores, titulos, nomen & alia vana mundi ludibria, tamen pauperum rationem habuisti sedulo, atque etiamnum ipsos non negligere diceris, Chrysostomum Episcopum olim Præful retulisti suaviloquentia, & quidem adhuc refers: constantia Ambrosium, scientia vero & acumine Augustinum equiparas. Sed ne quicquam tuis dare auribus videar, super sedeo laudibus, quas T. Cels. meretur & tibi omnes pii debent. Te interim tanquam primum & præcipuum inter viros illustres ditionis *Monasteriensis*, cui tanta com laude veluti Princeps & caput præfuisi, ut omnium in te coniecti essent oculi, consituo: Accipe igitur iterum serena facie, quod offero, & Hamelmannum, qui non potest tui oblivisci, tuasque Heroicas & Christianas virtutes cum omnibus vere piis merito celebrat, niveoque lapillo notandas & æterna memoria dignissimas censet, commendatum habe. Quod sit a tamen, clarissime Heros, tuus successor & cognatus, celeberrimus & Excellentiss. Princeps *Monasteriensis*, Dominus Bernhardus, atque item Reverendi Domini Capitulares summi templi & reliquorum collegiorum Canonici, denique ipse, Inclytus Splendidiss. urbis Senatus non dedignarentur hanc simul tecum dedicationem suscipere, & me propter doctrinam Evangelii, cujus sum professor, non contemnere vellent, esse hoc mihi equidem gratum, & tua ut opinor Cels. non contrarium: quia credo T. Cels. istos à quibus amatur, posse facile ferre hujus dedicati libri consueti: Tua igitur venia ad illos me convertito.

Oro itaque T. Cels. Illustriss. & Reverendiss. Præful Bernharde Princeps Clementiss. rogo quoque V. Excell. Reverendi & Nobiles Domini ac Proceres Summi templi, tum V. Dig. venerabiles Canonici reliquorum collegiorum, atque demum V. Præst. Sapiëntiss. Consules & Splendidiss. Senatores, urbis *Monasteriensis* reverenter obsecro, ut nostrum hunc librum, quo vestrorum collegiorum, urbis ac ditionis vestra alumnos & doctos, qui vobis ac toti urbi ditionique ornamento sunt, recito & quasi ex pulvere in lucem produco, boni consuletis. Hic aliqui referuntur, qui olim in Principum *Monasteriensium* aula versati sunt: qui item in capitulo Summi templi præluxerunt, atque collegiorum ut veteris Ecclesie, *Mauritiani*, *Martini*, & *Ludgeriani* templi lumina fuerunt: Hic honorem suum habent, qui olim in magistratu vel aliqua

dignitate per totam urbem locum habuere, vel adhuc vivi in urbe clarent: Hic numerantur, qui Patrum seculo Scholis utiliter præfuerunt, & eisdem magna cum laude cum in urbe tum in dititione inservierunt.

Ex libro virorum Westphaliae scientia & doctrina illustrium primo ad vestram dititionem referuntur Rolevingius de Laer, Rodolphus Langius, Præpositus veteris Ecclesie, & summa Canonicus, Hermannus Monachus in campo Cistrensis ordinis, Henricus de Cosfeldia: In lib. 2. multi Episcopi vestra olim Ecclesia illustres virtute & scientia numerantur, quarum integritatem ac doctrinam ex Krantio probe retulimus, ut Ludgeri, Gerfridi, Wilhelmi, Richardi, Dodonis, Suederi, Hermannii, Frederici, Burchardi, Weneri, Theodor. Gotscalci, Lodovici, Ludolphi Gerhardi, Henrici, Ottonis & Joannis, &c. atque horum, quos ita tanquam tuos antecessores celebravi, doctrinam ac virtutem, spero T. Cels. Bernharde Præsul imitari, quum olim etiam ante annos iredecim te studiosum lectionis cognoverim: addamus ex eodem libro alios Episcopos ex vestra regione oriundos, ut Dominum Conradum de Vechta, Joannem de Dulmen, Theodorum Rhefium, & Ulricum de Albach, &c.

In tertio vero libro, qui vestra dititionis sunt, recensentur hi, Joannes Murmellius (qui ibi apud vos in Scholis prælegendo & ex instructione Langii omnem suam & tam celebrem doctrinam hausit) Hegius, Buschius, Tilemannus Dulmonienfis, Burenus, Jacobus Montanus, Tunicius, Ornitopharchus, Viglius, Gerhardus Boicholtianus, Elius Junior, Vruchterus Listrus, Zwivelius, Godefridus Rameus, Kerfenbrochius, Cinglarius & alii. Summum templum & veterem Ecclesiam Rodolphus Langius illustravit, & multi ibidem Generosi Canonici fuere, de quibus dissero in hoc libro: de vivis nunc nihil dico, ne adulari videar: Tegederus Mauritiano, Mommius & Aelius Junior Ludgeriano collegio decus attulere propter eruditionem: Martinianum vero collegium singulariter ornaverunt olim Petrus Aquensis, Aelius Senior, & Morlagius: Et tales merito eruditi viri debebant semper esse in collegiis, quæ olim nihil aliud quam Scholæ erant, in quibus doctiores instruebant juniores prælegendo & docendo: Hinc nomina sunt Scholastici, Decani, Præpositi, Cantoris, &c. Quæ quidem adhuc retinentur, sed officium istorum verusque collegiorum usus perit hodie proh dolor: Sed de hac re prolixius alibi diximus.

Ad te autem revertor, laudatissime Heros Guilielme, quocunque modo alii meum institutum interpretentur, scio tibi nostrum probari laborem, idque etiam clementer ferre, quod tuum germanum fratrem tecum in Patronum delegerim.



Cum igitur tibi quoque præstantissime Joannes Ketlere sine dubio jucundum sit habere talem fratrem (de quo hæcenus hic egimus) qui sit splendore non solum toti vestra nobili familia ei que vetusta propter Heroicas virtutes ac varia dona, quibus pollet, sed etiam toti ditioni Monasteriensi & sua patria, atque ipse quoque aliquid celebritatis ac gratia tibi & tuis adferat, cujus similitudo in omnibus piis Ecclesiis & sanctorum ore voluitur, quem etiam credo & scio gratum esse angelis in cælo & charum ipsi filio Dei &c. profecto volui T. Excell. istam felicitatem gratulari, quia præter hunc habet eadem alium admodum fratrem, qui quoque ad Principatum assumptus est in Livonia, ut merito felix tu præcipue totaque familia vestra reputari & haberi possit. Quod potius quam ita sit, statui T. Generos. apponere fratris Wilhelmi nomini, & vobis simul nuncupare nostram operam, quia audio tuam integritatem, pietatem, equitatem, prudentiam: ac honestatem prædicari passim istic, & de nullis tuis virtutibus quibus equiparas fratrem, mihi retulit literatissimus & venerandus vir Dominus Petrus Loo, Erverveldensis: Accipe igitur humiliter, quod tibi tuoque fratri offero devote.

Idem à te quoque peto, nobilis & humanissime Franciscæ Vandale. Veluti enim tui proavi habuerunt in hoc Comitatu, in quo nunc versor, sedes, atque vos adhuc cum vestra veteri & antiqua familia amplas hereditates possidetis, ita nunc tua quoque Humanitas vetustum Generosorum Burgiviorum de Stromberg/ quondam Castrum Crassenstein/ possidet in ea ditio, cujus viros doctos celebro. Volui igitur tuo candori illa quali acunque similitudine inscribere, qua de vestra Dioceseos celebribus viris scripsi. Tuam autem benevolentiam & ingenuum animum, egregiam que indolem, ornatissimus & doctissimus vir Bernhardus Copius, prædicare apud nos solet, atque istius etiam jussu est destinata quoque tibi hæc dedicatio, quam pro tua humanitate & extremo candore, boni consules & hoc unum facies, ut in ista quoque ditio possis virtute & pietate aliquando magnus esse. Valeant duo præstantissimi fratres

Ketleri tecum in CHRISTO quam optime, Amen. Lemgovia,  
Comitatus Lippia, primo Augusti, &c:

PARS PRIMA,

hujus Libri,

Qui continet ILLUSTRES scriptis VIROS URBIS  
MONASTERIENSIS.

**B**ERNHARDUS GUERINGIUS, *Monasteriensis*, collegit selectiora & utiliora carmina ex tribus Satyrarum Principibus Poëtis *Horatio, Juvenali & Perso*, redacta in locos communes Monasterii & anno 14. post annum 1500. à nato Christo edidit, & *Horlenius* epigramma adjecit: Nihil præterea à *Guerino* editum vidi.

JOANNES HAGEMANNUS, *Monasteriensis*, qui fuit *sub Timanno*, quando *Horlenius* esset *Conrector, lector 4 Classis*, scripsit Monasterii *commentarium in adularium Plauti*: deinde in *Epistolas Ciceronis selectas à Buscbio*, præfatus est *Josephus Horlenius* ad hunc *Hagemannum & Hermannum Aquensem*, ubi utrumque artium magistros claros & doctos vocat, deinde idem *Horlenius* præfixit epistolam *versifologo Mancinelli* commentariis *Murmellii* illustrato, in qua rursus prædictos illos celebrat & doctissimos viros esse asserit. Hic *Hagemannus Roma obiit*, ubi erat *Præpositus Bibliotheca Vaticana*.

JOANNES ROTGERUS, *Monasteriensis*, qui fuit in domo fratrum Pater, scripsit *elegidion in librum Murmellii Florea* sacri peanos *serta divæ virginis continentem*, profecto doctum, ubi inter alia sic scribit:

Eximios melicis, cecinit qui versibus hymnos,

Virginis & nati gesta colenda Dei. &c.

Huic inscripsit *Murmellius* commentaria sua doctissima in *Prudentium*, & ipsum virum insignem & doctum appellare non dubitat: celebrat quoque eundem *Murmellius* in libro 3. *Elegiarum Moralium*, ubi eidem dedicavit *elegiam 12*. Et *elegia 1. lib. 3. Elegiarum Moralium* sic de illo scribit:

Floret *Joannes Rotgerus*, doctaque vatam.

Calliopes cultor carmina doctus amat.

*Petrus quoque Aquensis*, *Canonicus Martinianus Monasteriensis*, hunc inter viros istius urbis doctos recitat.

PETRUS GYMNICUS AQUENSIS, *Canonicus Martinianus*,

A a 2

scri-

scripsit doctam epistolam vel præfationem in Dialecticam *Timanni Cameneri*, &c. in qua ostendit suam eruditionem & recitat doctos, qui suo tempore Monasterii vixerunt. Sic autem de illo in prædicto libro elegiarum Elegia 1. scribit *Murmellius*:

*Petrus Aquensis* agit diuina cum Pallade vitam,  
Et sophiæ puro munera corde colit.

Inscripsit ei *Murmellius* elegiam 13. libri 4. Elegiarum *Moralium*, ubi ipsum doctissimum salutatur virum & inter alia sic scribit:

Gaudeo quod Sophiam conjungis cum pietate,  
Ingenium miror candide *Petre* tuum:

Scripserat quoque idem *Petrus* multa de donatione *Constantini*, quæ prodiissent in lucem, nisi per turbas Anabaptisticas intercepta fuissent.

*Magnus fuit Mathematicus*:

JOSEPHUS HORLENIUS, Segenensis, primo *Hersordia* ante *Rotarium* rexit Scholam, deinde *Monasterium* venit factus sub *Timanno* quarta classis lector per id tempus, cum *Murmellius* in Conrectoratu & *Peringius* lector 3. classis esset, venit autem *Horlenius* in *Bavinci* locum, de quo postea. Discedente verò *Murmellio* à *Timanno*, fit *Conrector Peringius*, qui cum quoque in patriam abiret, succedit ei *Horlenius* factus *Conrector*, ad quartam deinde classem venit tunc *Joannes Hagemannus*, de quo diximus: *Josephi* istius duo libri epigrammatum *Monasterii* excusant extant inscripti *Antonio Tunitio*, tunc quintæ classis lectori. Idem excerptis quasdam ex *Erasmi* libris sententias, quas adjectis doctorum epistolis ad se missis evulgavit, ubi multæ *Jacobi Montani*, *Spirensis*, ad ipsum datae epistolæ, quibus mirum in modum extollitur *Horlenius*, extant: Scripsit erudita disticha de passione Domini & ejus fructu percipiendo, quibus ipse hoc *Tetrastichon* præfixit primum:

Est quia pro populo sanguis pretiosus Jesu  
Fusus, & est cœli jam referata domus.

Semper adoremus Christi mortemque crucemque,  
Atque coronati vulnera quinque Dei, &c.

Scripsit doctissimum commentarium, quo suam eruditionem & multijugam lectionem prodidit in *Triumphum Christi carmine Heroico* conscriptum per *Macarium Mutium* Italum Poëtam excellentem, *Coloniæ* excusum: Scripsit quoque in ædibus *Theodorici Hollem* dignissimi (ut ait) veteris *Ecclesiæ* Canonici, & de hinc evulgavit commentaria erudita in epistolam *Cypriani ad Donatum*: Decem quoque præcepta

cepta eleganti elegia reddidit & unum quodque præceptum disticho absolvit: quia inter reliqua sic de tertio & quarto præcepto canit:

Christi festa cave vano violare labore,  
Sed pede non tardo templa beata pete:  
Confectus senio, multa pietate parentes  
Affice, sic veniet gloria magna tibi, &c.

Scriptit in multorum scripta præsertim *Timanni Rectoris Monasteriensis*, ut in *Physicam Timanni*, in compendium Grammatices ab eodem editum, & in versilogi Mancinelli commentarium à Murmellio scriptum, &c. epigrammata commendatoria: Huic Josepho inscripsit decimationes Plautinas Buschii, Joannes Gymnicus Typographus, atque Tabulas Grammatices Murmellii, ubi ipsum virum eruditissimum appellat: *moritur Horlenius Monasterii anno 21. peste.*

JOANNES PERINGIUS, Burecensis, olim Conrector Timanni & successor Murmellii in Conrectoratu, collegit ex tribus *Laurentii Vallo* de vero bono libris ad puerorum utilitatem quasdam familiares orationes quotidiano sermoni accommodatas, adjecta enarratione locorum difficilium, adjunctaque exhortatione pro juventute ad linguam sacram, &c. *Divinissima cantica* ex veteri & nova lege, id est, *Bibliis evulgavit* adjecto & suo & Tunicii epigrammate: omnia sunt partim Colonæ, partim Monasterii excusa: Recudi quoque curavit Monasterii per Zwiveliū primam partem Psalterii ex editione Jacobi Stapulensis non solum præmissio suo & Tunicii epigrammate, sed etiam prolixa præfatione ad *Timannum* Rectorem, quem ibi amplissime commendat: Scripsit in multorum aliorum scripta epigrammata commendatoria, ut in *Buschii* triplex Psalterium Mariæ virginis carmine scriptum, in *Timanni Physicam*, in *Grammaticam Perotti*: collegit quoque *selectiores epistolas Plinii* præmissa præfatione, in qua nimium quasi præterito Cicerone, videtur Plinio & ipsius dictioni tribuere: sed hoc dandum est tempori isti. In epigrammatis suis celebrat ipsum Peringium tanquam eximia doctrinæ ac pietatis artiumque ingenuarum professorem dignissimum Horlenius: Ego ab illo editum nihil amplius vidi, sed Murmellius dedicavit eidem Peringio elegiam II. libri 2. elegiarum *Moralium*, ubi quoque ipsum amplissime celebrat, & elegia I. libri 3. elegiarum *Moralium* sic de illo Murmellius scribit:

Clarus Bavincus, clarus Peringius una  
Militia mecum non sine laude merent, &c.

Dicitur mortuus esse in Patria *Buricensa* ultra Rhenum è regione *Wesaliae* urbis.

JOANNES GLANDORPIUS, *Monasteriensis*, primo inclaruit ex certamine illo literario, quod habuit cum *Henrico Vruchtero Olphenio*: nam utriusque in vectivæ carmine & soluta oratione scriptæ, extant: *Fuit in Schola Rostochiensis & Coloniensi* per multos annos: *rexit in Patria Scholam* tempore Evangelii ibidem renati, ut antea sub *Timanno* post *Tunicium* s. classis lector fuerat: *Marpurgi* post *Buschium* factus est *Oratorius Professor*, & sæpe dixerat *Casparus Rodolphus Snavus* (qui *Dialecticæ Professor* erat ibidem, doctissimus) nunquam habuisse eloquentiores *Academiam Marpurgensem*, quam duos illos *Westphalos Buschium & Glandorpium*: *Rexit* idem *Glandorpius* *scholas* magna cum laude *Hamelunge, Brunsvige, Hannovera & Goslarie*, & multos doctos discipulos passim reliquit: *Philippus Melanchthon* in literis ad ipsum datis & in *Intimationibus publicis*, præsertim *tomo 3. scriptorū publice Witenbergæ propositorum*) hunc doctissimum pubis informatorem & historiarum exactum scrutatorem denique prudentem ingeniorum censorem appellat, &c. Vidi ipsius *Sylvam editam* anno 1551. carmine *Elegiacorum* enarrationem *commentariorum C. Julii Cæsaris de bello Gallico & civili*: Edidit quoque anno 1556. *de familia Antoniorum* eruditum admodum scriptum *Lipsiæ* excusum: & ad eum modum *familiam Juliorum* & decem adhuc alias familias apud Romanos olim claras decreverat edere: Scripsit quoque *magnum Epigrammatum doctorum volumen*, quod similiter nondum prodiit: Vidi aliquoties ipsius epigrammata in *commendationem aliorum edita*: Sic *locos in Evangelia dominicalia, Antonii Corvini*, & ipsius epistolam de *actione Monasteriensis*, epigrammatis celebravit, item *Zangerii Musicam*, item *Sibai Olphenii epicedia & epitaphia* scripta viris quibusdam eximiis in *Inclyta Osnaburga*, &c. Postremo venit vocatus ad *gubernationem Scholæ Hervordensis* in *Westphalia*, ubi etiam mortuus est bonus senex hoc anno 1564. Ipsius vitam dicitur carmine describere *successor ejus Albertus Lonicerus Junior*. Quid ille, & *Buschius* egerint contra *Anabaptistas* alibi, hoc est, in *Ecclesiastica historia* dicitur.

JOANNES VOLSIUS, *Lunensis*, qui cum *Eberhardo Tappio* fuit *oppido Lunen Comitatus Markæ* in *Westphalia*, ornamento, hic fuit *Rector Scholæ Ludgerianæ* post *Joannem Murmellium*: scripsit epigramma in *commentarium Horlenii* super epistolam *Cypriani ad Donatum*: & scri-

scripsit idem doctam & prolixam epistolam ad Joannem Peringium, quæ publicè extat: *factus est postea pater ad D. Maximinum Colonia.*

HENRICUS DORPIUS, Monasteriensis, sub suo nomine edidit *historiam de factione & furore Anabaptistarum in urbe Monasteriensi*, quæ extat in tomo 2. Witebergenfi Lutheri, & inde integram descripsit historiam *Sleidani* libro decimo: Putatur tamen pars aliqua istius historiae congesta esse à *Doctore Theodoro Fabricio*, qui ante obsidionem mittebatur Monasterium à Landgravio, atque hic dicitur esse Westphalus & hætenus in oppido Cervesto Principum Anholdinorum egit Superintendentem.

JOANNES LANGERMANNUS, Monasteriensis, tempore renati Evangelii anno 31. latina scripta & propositiones *Rothmanni* editas, cum adhuc integræ esset doctrinæ *Rothmannus*, vertit in linguam Germanicam, & edidit: Nam nunquam deficienti Rothmanno consensit: imo propter synceram doctrinam multa perpeffus est, & *mortuus est Hamburgi* in vera agnitione Christi.

THEODORICUS quidam de MONASTERIO, frater observantiæ, scripsit etiam manuale pro laicis germanica lingua Coloniae excusum, sed valde insulsum & indoctum.

Non dicam nunc, quanto cum urbis istius malo ediderit ibi varia pro defendendo suo dogmate, opuscula impia *Bernhardus Rothmannus* sub obsidione, & paulo ante obsidionem.

Hætenus scriptores qui vel nati sunt, vel vixerunt in urbe Monasteriensi, olim, mortuique sunt, & tamen non habentur in Bibliotheca *Gesneri*, vel catalogo *Trithemii*, sive etiam in aucta epitome Bibliothecæ: Jam etiam *viros* describamus:

JOANNES SPITHOPHIUS, Monasteriensis, Professor Physices in schola *Haffniensi* in Dania, eruditam edidit orationem excusam *Rostochii* de vita & morte Doctoris Medici *Jacobi Bordingii*.

JOANNES HAVINCKHORSTIUS, Monasteriensis, in Schola vel Bursa Montis Coloniae Professor artium fuit diu, & scripsit tum græcæ tum latina epigrammata, cujus epigramma vidi in Syntaxin *Varenii* græcæ & in aliorum quorundam libros, argumenta quædam in Dialogos *Luciani* atque simul in eosdem annotationes atque alia: Dicitur nunc esse *Furconsultus Licentius* ibidem.

BERNHARDUS LINGIUS, ex Domino & oppido *Singen* oriundus, vixit diu in Schola *Lovaniensi*, ubi audivit magnum illum *Conradum*

*dum Goclenium*, & fuit collega ibidem olim in studiis *Regneri* illius *Re-*  
*ctoris Groningensis*, hominis eloquentissimi, &c. postea *Coloniae* fa-  
 ctus est *græcæ linguæ Professor*, sed cum ibi liberioris esset vitæ (ut  
 ajunt, quia pro certo hoc non affirmo, quanquam idem dicatur de  
*Murmellio*) dimittitur, & venit in patriam meam, ubi factus est *Rektor*  
*Schola* anno 48. postea cum pene eadem de causa dimitteretur ibi, fit  
 tandem *Monasterii Conrector Hermannii Kerfenbrochii* in *Schola Paulina*  
 apud quem jam in isto officio per annos 14. hæsit, vir in linguis præfer-  
 tim *græca* versatus, doctus, simul & judicio ac ingenio facili præditus  
 & felix admodum in docendo: edidit de *colis & commatibus* cum sua  
 præfatione, quædam ex *Philippi Melanchthonis & Joachimi Ringelbergii*  
 scriptis collecta, & scripsit præfationem in duos libros *Mutmellii*  
 compositis verborum, nuper recusos *Monasterii*, atque olim epigram-  
 ma in heroicum carmen *Kerfenbrochii* de bello *Monasteriensis*, quo scriptum  
 istud commendat: Nihil præterea vidi ab illo editum: plurimum posset  
 præstare in re literaria *Lingius*, si propter occupationes, tum quoque ut  
 referunt alii propter delicias vacaret, Secundus ab eo est ut opinor *Re-*  
*ctor* 4. classis *Johannes Lichius*, *Antwerpianus*, studiosus *Medicinae*, cui  
 classi olim præfectus erat senex miles in re literaria *Bartholomæus Luth-*  
*burgensis*, &c. Reliquos collaboratores *D. Kerfenbrochii* non novi, &c.  
 Hi inquam omnes sunt, qui ad nostram notitiam pervenerunt. Si  
 qui alii adhuc sint in urbe *Monasteriensis*, vel alibi sedes habeant, nati  
 tamen in ea civitate, quos ego ignorarem, & forte his non ascripsissem  
 (quia neminem ex malitia, sed potius ignorantia prætereo) illos mihi ab  
 aliis per literas indicari peto, quò in sequentibus locum suum  
 honorifice consequantur, &c.

\*\*\*\*\*

PARS SECUNDA,  
 LIBRI QUARTI.

Quæ continet doctos viros ditionis *Monasteriensis*,  
 qui scriptis clari sunt, & non habentur in catalogo *Trithememii*,  
 nec in *Gesneri* Bibliotheca vel ejus aucta epitome: ubi  
 primo dicemus de iis, qui mortui sunt:

**T**IMANNUS CAMENERUS, *Guernensis* (*oppidi Guernæ* *Mon-*  
*asteriensis ditionis decus*) per annos 30. rexit ab anno 1500. usque  
 ad annum 1530. *Scholam summi templi in urbe Monasteriensis*  
 quon-

quondam *Hegii discipulus* & in eadem *orturia condiscipulus Erasmi* Roterodami fuerat : ante quem etiam mortuus est in Pasto-  
 ratu *Lambertinae* Parochiae, vir gravis & severus in gubernatione. Ipsi-  
 us multa scripta extant : *Scriptit* compendium naturalis Philosophiae, in 5. di-  
 stributum volumina : idem edidit compendium Dialecticæ, atque Ety-  
 mologiæ & Syntaxeos artis Grammaticæ correctum : carmine quoque  
 felix erat. Sic ad illum scribit *Murmellius* in lib. 2. Elegiarum Moralium:

Qui claris animi possunt divina tueri  
 Luminibus, curant illa caduca nihil,  
 Qos inter merito numerat te Musa *Timanne*,  
 Gloria Teutonici docte *Timanne* soli,  
 Qui solida errantem moderaris lege juventam,  
 Præcipiens rectè vivere, rite loqui.  
 Sedulus ingenuas pueros hortaris ad artes,  
 Et sopheriam summo cogis amore sequi, &c.

Et quando reliquos urbis *Monasteriensis* doctos viros celebrat, sic  
 quoque de *Timanno* scribit:

Censetur late doctusque *Timannus* habetur,  
 In celebri celebrem qui regit urbe Scholam.

Postea tamen ortum est tantum dissidium inter *Murmellium* & *Timannum*  
 propter editum à *Timanno* *Compendium Grammatices*, quò  
 tandem ex Schola *Timanniana* discederet, & ad *D. Ludgerum* mox  
 ludum literarium aperiret, quando lector 3. classis *Peringius* *Murmellio*  
 succedens *Timanni* Corrector fiebat : postea tamen opera *Rodolphi*  
*Langii* & *Peringii* sunt reconciliati & tunc scripsit in correctum *Timanni*  
*compendium Grammatices* (licet antea dispendium ex *Compendio*  
*fecerat*) epigramma commendatorium. Fuit ipse *Timannus*  
 felix ut diximus carmine, quod uno aut altero versu ostendam. Sic  
 aliquando de *Martel* lusit:

Exulat virtus superumque cultus,  
 Et decus summum pietasque clara,  
 Nemo jam pace in placida quiescit,  
 Partave servat, &c.

In epigrammatis ipsum vehementer *Horlenius* commendat, ut alibi  
 dictum est in oratione de viris quibusdam doctrina illustribus *West-*  
*phaliae*, qui per Germaniam latinam linguam restituerunt, &c. Atque  
 in præfatione quam præfixit editioni epistolæ ad *Corintheos* separatim



tunc in usum Scholarum excusa, tum quoque *Peringius* alibi. Mortuus est jam urbe capta & recepta, cum redire cogitasset ad Lambertinum Pastoratum.

GERHARDUS COTIUS, Alensis, fuit & in patria solus & Monasterii Scholæ administrator cum *Glandorpio* tempore renati Evangelii, postea factus *Concionator* Evangelii in Comitatu Lippie, mortuus est etiam *Horna*, quod est oppidum nostri hujus Comitatus, anno 1562. Scripsit autem carmen ad DEI Genitricem laudatorium, cum adhuc ageret in patria Ludimagistrum, & esset Papista, editum Monasterii: Scripsit & edidit quoque Pagellam carminum anno 1525. cum præfatione *Jacobi Montani* Spirensis, qua Cotius doctis, qui nostrum seculum poematis oblectant, annumeratur: Scripsit & evulgavit quoque Hornæ pia carmina inscripta Magistro *Joanni Grothen* Jureconsulto, &c. Multa utilia collectanea in ejus Bibliotheca sunt post mortem illius reperta, sed editum ab illo nihil amplius vidi.

JOANNES ALEXANDER, Meppensis, (ex oppido *Meppen* in *Emeslandia* natus) qui *Zwollis* magna cum laude cum *Stuvio* Scholæ præfuit, vir disertus & doctus: extat ejus epigramma in *Lystrii* libellum de figuris, atque aliud in tres Satyras separatim per *Timannum Camenerum* in usum suæ Scholæ ex *Juvenale* editas, scripsit, quibus celebrat *Timannum*: Mortuus est in regimine Scholastico *Osnaburgæ* anno 1527. Hunc diversis in locis celebrat *Murmellius*, sic autem in epigrammatis Paræneticis *Daventriæ* excusis, ipsum commendat:

Eloquii salve cultor facunde latini,

Quo duce barbaries pellitur è medio,

Te merito doctum clara & virtute politum

Suscipiunt docti suscipiuntque boni.

Te doctore Scholæ pars istic maxima floret,

Doctrinam sequitur magna caterva tuum.

HERMANNUS STUVIUS, Vechtenensis, discipulus *Murmellii*, cum rediret *Colonia* ex studiis, *Zwollis* factus est *Meppensi* Conrector, & postea inde abiens *Lovanium*, contraxit cum *Westphalo* *Conrado Goclenio* familiaritatem & ipsius promotione, cepit ibi optimos quosque autores non sine admiratione enarrare: tandem revocatur in patriam & fit *Pastor Wildeshusensis*, ubi etiam mortuus est ante paucos annos: Huic inscripsit *Murmellius* suas Tabulas de re Grammatica & sic de illo in dedicatoria epistola ait: Bonarum omnium studia disciplina-

rum

rum ita amplectaris ut avidius nemo : Epistolas scribis mi Stuvio, ut Mufas ipsas latine loqui credam : carmina componis quam lepidissimè, &c. Et mox sic pergit: Te vero, mi Hermanne, & Joannem Meppensem (de quo antea diximus) communem amicum non minus literatura præstantem quam piis moribus & sacerdotio venerabilem, oratos velim, ut quod vestra sponte jam pridem facitis, in id unum omnes ingenii nervos intendatis, ut explora veteris Alexandri barbarie (putat doctrinale Alexandri) cum politioribus literis, tum castissimis moribus ab ineunte ætate dociles pueri se gaudeant erudiri, &c. Hæc scripsit eo anno Murmellius, quo è medio sublatus est : Atque utrique isti Joanni Alexandro Meppensi & Hermannio Stuvio Vechtenfi dedicavit eodem anno Scoparium suum in Barbariei propugnatores Murmellius, & ipsos sibi ait amicos familiarissimos propter eximiam eruditionem, &c. Nihil editum à Stuvio vidi, nisi epigramma, quod scripsit in commendationem Elegiæ *Antonii Tunicii*, quam ille de moribus Scholasticorum evulgavit, verius Stuvii sunt :

Hos eme perpulchros studiose Scholastice versus,  
Sensiculis claris hi, mihi crede, fluunt.

Hinc potes ipse tuam justis componere vitam  
Moribus, hinc vitium turpe cavere potes :

Hinc tibi præclari facilis studii ordo patebit,  
Quo sine doctrinam carpere nemo potest :

Hos omni monitus quicumque Scholasticus arte,  
Servarit modico tempore, doctus erit.

HENRICUS SCÆVIUS, Schalterlandinus, prope Kloppenberg natus, Canonicus in *Sreckenshorst* / felix fuit in scribendis versibus : itaque de se ipso sic solebat gloriose dicere : Scævius ingenio, Scævius arte valet, &c. Sed hoc jocose invertebat Joannes Ælius junior, Successor *Timanni* in gubernatione Scholæ Monasteriensis, dicens : Scævius ingenio, Scævius arte caret. Scripsit in diversa Scripta doctorum epigrammata, ita quoque scripsit elegiam in commendationem *Dionysii Carthusiani*, quæ sic incipit :

Quisquis cantopheri cupis iram flectere Christi,  
Nec Phlegetontis volvier usque focis, &c.

Edidit anno 21. Colonia multa epigrammata & epistolas ad diversos scriptas, ubi nobilem Dominum *Joannem Smisingium*, tunc Canonicum, nunc Decanum, & *Hermannum Bravium* quondam Scholasticum

Summi templi Osnaburgensis, atque *Joannem Mellinckhusum* Emedensem, qui postea factus est Decanus ad S. Joannem Osnaburgæ & fuit vir doctus atque Mecænas studioforum, honorifice salutatur; Alium vero prædictum celebrat ibidem: Puto illum Freckenhorstii mortuum esse.

*Scriptum* in prædictum illius Scaevii opus anno 21. editum, epigramma non indoctum *Hermannus Rantius*, tunc Pastor in Vechta, qui in vicinia mei patris anno 1554. admodum senex Osnaburgæ est mortuus.

ORTWINUS GRATIUS, (hic et si vulgo putetur Daventriensis esse, tamen est *Westphalus*) scribit in præfatione, quam præfixit secundæ editioni libri *de laude Westphaliae*, ab ipso *Wernero Rolovingio* scripti, se esse Westphalum in ditione Monasteriensium natum à *Frederico de Graes*, antiqua laudabilique prosapia prope Cosfeldiam urbem, educatum vero à patruo suo *Joanne de Graes*, Daventriæ, & in Hegii Schola ibidem instructum, & ob id vulgo Daventriensem dictum. Hic scripsit multa, & postquam esset ante annos 50. inter præcipuos cum *Joanne Casario* & *Jacobo Greselio*, Professores Academiae Colonienfis, miser ille nimium indulgit affectibus, & confidens stylo ac autoritati, qua mediocriter valet, cepit causam *Hochstratii* defendere. Itaque in ipsum conficta sunt epistola obscurorum virorum ab *Hermanno Comite de Nova Aquila*, *Ulrico ab Hutten*, & *Hermanno Buschio*, *Casario* & aliis, quanquam *Buschius* propter patriam concivi parcere debuisset, sed ipse *Ortwinus* antea *Buschium* anno 1511. irritaverat, scribens: infulse & inepte esse factum à *Buschio*, quod scriberet Theologis, Philosophis & Magistris fore utilem, suum in *Donatum* commentarium. Hinc ille lachrymæ. *Emisit* tamen apologeticum ad virulenta ista scripta, quo se mirum in modum excusat *Ortwinus*, &c.

Sed ne hoc præteream, fuere olim circa annum 1350. in Cœnobio Marienfeldiano viri docti, *Doctor LUBERTUS de WEND*, antea Canonicus Osnaburgensis, qui ex Monasterio electus est Episcopus Osnaburgensis, sed maluit in Monasterio manere, quam Episcopatum suscipere: Et *ARNOLDUS* quondam Cantor ejusdem Ecclesiæ: Eodem tempore fuit ibidem Monachus *CONRADUS ESSENE*, vir literatus, ut scribit *Ertwinus Ertman*, Consul Osnaburgensis, in Chronico Osnaburgensi, & præsertim versibus faciendis mire dexter, hic fuerat *JOANNIS HOED*, Doctoris & tunc Episcopi Osnaburgensis, qui in locum Doctoris *Luberti Wend*, ex provisione Apostolica venit, præceptor, & eundem

dem Episcopum edito libro, soluta & ligata oratione quam amplissime celebraverat, asserens ipsum non ut alios Episcopos rerum temporalium, sed spiritualium & lectionis studiosum fuisse, inter cætera sic de nomine Joannes dixerat: En dat nomen ei gratia magna DEI.

Nunc ad eos tendimus, cum de mortuis nihil mihi amplius constet, qui vivi sunt, &c.

JOANNES BATHELIUS, Cosfeldianus, diu Lovanii vixit & audivit *Conradum Goclenium* & alios, postea Wittenbergam abiit & factus est familiaris *Tulichio*, cui etiam deinceps fuit collega in Schola Luneburgens. atque simul eidem post successit in regimine Scholastico: Vivit adhuc hodie, & est illi Conrector vir clarif. *Lucas Lossius*: nihil aliud præter leges Scholasticas in usum sui ludi literarii edidit, quod ego sciam, Bathelius.

JOANNES DIEKMANNUS, gubernator Scholæ Borckensis, edidit Phalecium carmen de livore, & est vir eruditus: puto illum superesse & nihil præterea edidisse.

Bucholdiani oppidi ornamentum fuit GERHARDUS BUCHOLDIANUS, Medicus: vixit ibidem superioribus annis WILHELMUS KLEIBITIUS, qui scripsit contra *Heshusium*, & nunc degit Antwerpæ apud Sacramentariam sectam, ut audio, homo inquietus & crassæ sententiæ, imo potius impudens.

HENRICUS SIBÆUS, Olphenius fuit, olim anno 11. lector in Schola *Timanni* Monasterii, sed mox abiit Wittenbergam, inde reversus suscepit Conrectoratum Osnaburgæ apud *Joannem Meppensem*, postea Hervordiam eandem functionem sustinuit apud *M. Rodolphum Mollerum*, deinde Mindæ Rector Scholæ Cathedralis factus est: Sed ibi ut Lutheranus non potuit diu harere; Itaque rediens Wittenbergam, hæsit ibi per aliquot annos & tunc rursus Castellis, Helmstadia & in Dithmaria Scholis præfuit, tandem Osnaburgæ fit *D. Christiani Sleibingii* Conrector & post illum Rector: Tempore vero interim uterque vocatur Hervordiam, quum locum in Scholis vel Ecclesiis Osnaburgæ non haberent: Ethic interim Conrectoris munere fungitur Olphenius, sed discedente rursus Christiano, Rectoratum subit, quem cum ei adimere videretur, vel potius in ipsius locum vocaretur à Senatu *Albertus Lonicarus* junior: discipulus antea Olphenii, venit tandem *Lemgoviam*, ubi cum Scholam quoque per biennium administrasset, est rude donatus propter senium: Est ille *Olphenius Grammaticus egregius*, &

gravis Pöeseos censor : Hic Lemgovia cepit ex scriptis clarere : Scripsit elegion de tribus Hermannis Westphalis Buschio, Bonno, Tulichio viris doctissimis : deinde plurimis Epitaphia scripsit, quæ extant, *Bernhardo Comiti de Lippia, Christophoro à Donop, Satrapæ ejusdem, atque Medico ejusdem Comitis Georgio Honderlago Doctore, tum quoque Consiliario Comitis & Consuli Lemgovienfi Ludolpho Cathemanno* (cujus etiam filio Theodoro epithalamion scripsit) & *M. Henrico Grothen, reconsulto* : Evulgavit quoque justum librum carminum de obitu multorum excellentium virorum in Inclyta urbe Osnaburga, ut *Martini ab Horsten, Henrici Storckii, Doctore Rolandi Consulum item Pollii & quorundam aliorum* : Ista omnia aut sunt Wittenbergæ aut Lemgovie excusa. Hunc Olphenium *Albertus Lonicerus* publica elegia ipsam celebravit ante anno 10. ubi inter alia sic de illo ait :

O decus Aonii docte Sibæe chori :

Scripsit quoque *Glandorpius* Epigramma de ipsius libro, quem super obitu Inlignium virorum apud Osnaburgenfes inter paucos annos vita functorum scripsit, ubi sic ait :

Quæ tibi dat doctus, *scilicet* Osnaburga, Sibæus

Carmina, sunt cedi o digna, legique piis &c.

Vivit admodum senex Lemgovie, plura meditans.

BERNHARDUS COPIUS, Strombergas, cum fratre natu maximo *Joanne* Lovanii & Colonia Linguis & bonis literis operam dedit, rexit cum eodem fratre *Joanne* (qui nunc est *Corrector Scholæ Tremonienfis* apud *Doctorem Joannem Scavasten*) *Monasterii* ad *D. Ludgerum & Paderborna* Scholas : nunc vero *Bernhardus* ad annos 5. apud nos Lemgovie Scholam administravit non sine celebritate nominis sui, qui dum esset *Tremonie* *Corrector*, scripsit elegiam in commendationem *Postillarum Scopperi* : Hic vero apud nos *Partitiones Dialectices, Rhetorices & Logicæ* prælo commisit ad usum suæ Scholæ : & quasdam *Tabulas* in eadem artes præsertim *Grammaticam & partitiones* dabit aliaque multa meditatur : Ipsi frater *Balthasar* scripsit elegias duas, ut est egregie doctus, in *Rhetorices & Logicæ* partitiones à *Bernhardo* editas, atque in meam orationem de viris Westphaliæ quibusdam doctrina illustribus, qui latinam linguam toti Westphaliæ restituerunt, epigramma : An reliqui fratres præcipue *Joannes & Engelbertus*, qui est *Corrector Susati in Schola Evangelica*, aliquid in lucem ediderint omnino ignoro, sunt tamen & illi viri egregie docti : Possunt illi quatuor

tuor fratres adhuc multum præstare in re literaria, & speramus id futurum. *Quintus frater Hermannus est Pastor in Strömberg / & sextus Rogerus sub clarissimo & longe doctissimo viro D. D. Davide Chytrao Roslochi, Philosophiæ & sacris literis operam dat, & facit bonum in studiis progressum.*

Non scio jam plures Scriptores ex ditione Monasteriensi ortos: Pios, qui plures forte noverunt, ut istos mihi per literas indicare velint oro, quo sequentibus libris inferantur.

PARS TERTIA,

*Libri quarti,*

Qua describuntur primo illi viri docti, qui in urbe fuerunt, deinde in ditione, etsi scriptis non claruerint. Videamus nunc quinam Patrum seculo in urbe & ditione clari doctrina, non tamen scriptis fuerint.

**S**cripsit *Murmellius* anno 1503. Sapphicum carmen in laudem urbis Monasteriensis, in quo præter reliquos *Vegium* quendam ob insignem eruditionem celebrat: Eiusdem meminit *Buschius* lib. 2. Epigrammatum (quos ann. 1500. edidit ad suum Præceptorem *Alexandrum Hegium*) in celebratione doctorum qui isto tempore Monasterii vixere, ubi inter cætera sic ait:

Nec te præteream *Vegi*, tua vivida virtus

Adsi & admoto pollice ducta Chelis.

Adeundem *Vegium* scribit ibidem Epigramma de angustia humanæ vitæ, ubi sic scribit, Domino *Vegio*, &c.

Te laudo, teneas hæc quod sub pectore semper,

Nec *Vegi* falsis chare trahare bonis.

Non te fluxus honor vineit, nec in alta levaris,

Contentus fatis es studiose tuis,

Et solum sanctos, hæc sunt tua vota, libellos

Diligere, & verum laude sonare Deum, &c.

Nemo potest mihi referre quis fuerit, sed colligo illum Pastorem fuisse *Lambertinum*, quem propria elegia sine nomine tamen amplissime à studio Theologico in libris *Elegiarum Moralium* celebrat *Murmellius*.

In eodem libro 2. Epigrammatum *Buschius* celebrat plures, de quibus nullam notitiam certam habere potui vel ab ullo sene, primo cuiusdam LAMBERTI, qui à *gelida aqua* nomen habuit, forsàn *Raltwasser* de quo sic ait:

Tertius in numerum venies *Lamberte* meorum,  
Qui certe à gelida nomina fumis aqua.

Postremo quendam CHRISTINUM recitat inter doctos, quibus ut LANGIUM præposuit omnibus tunc in urbe Monasteriensi, clarantibus doctrina, ita hunc reliquis postponit & de illo sic scribit:

Ultimus occurrist tandem *Christine*, sub acto  
Edite frigenti lactificoque polo.

Non tamen ingenium calum tibi triste negavit,  
Carmina sed plectro condis, &c.

Collegio illum fuisse ex aquilonalibus istis plagis Daniæ vel Suetinæ sive Gotlandiæ Gutlandiæve, aut Maris Balthici ortum, &c. Sed qualis isti duo *Lambertus* & *Christinus* fuerint, ignoratur.

Pergit autem ibidem describere reliquos doctos viros, qui tunc in urbe Monasteriensi fuere, *Degenhardum Witten / Tegederum, Grovium, Joannem Elium* (intellige seniore) *Morlagium, Petrum Aquensem, &c.*

De DEGENHARDO sic scribit:

Tu nec turpe puta molles Degenharde choreas  
Castaque in herbofo gaudia colle sequi, &c.

Item proprium scripsit epigramma ad Magistrum *Degenardum de Witten*, Ludimagistrum de cornice que reciso capite adhuc volavit, &c. Dominus Glandorpius putabat hunc Lunensem fuisse, tunc vero ad D. Ludgerum Rectorem egisse, & postea factum Coloniae vel Officialelem vel Cancellarium, eique ad S. Ludgerum successisse Andream Ornitoparchum.

De TEGEDERO sic scribit:

Quicquid opus vatum fuerit, non deperit unquam  
Pægasidum nescit docta caterva mori.

Hinc *Thegedere* mei capient te candide Iulus,  
Teque juvant Clarii Flava Theatra DEI.

Ipse suburbano studiis te rure dicasti,

Dum passim Genium cætera turba colit.

In eodem epigrammatum libro scripsit epigramma ad hunc Magistrum *Bernhardum Tegederum, Scholasticum Mauritanum*, ubi inter alia sic de illo ait:

Com.

Compositus latii vel cantas carmen Hømeri,  
Immensum versas vel Ciceronis opus, &c.

Item Joannes *Murmellius* in elegia prima ad Rodolphum Langium lib. 3. Elegiarum Moralium recenset omnes Poetas præcipuos, & dein de eos nominatim exprimit, qui suo tempore Monasterii ex Poësi & doctrina clari fuere, ubi sic de hoc *Tegedero* scribit:

Diffuso late Tegederus nomine floret,  
Inque suburbano carmina rura facit, &c.

Hunc quoque *Petrus Aquensis* in epistola (quam præfixit Dialecticæ Timanni, ubi docti & clari ingenio in urbe Monasteriensi per id tempus recensentur) & *Tegederus* recensetur: Dicitur autem habuisse splendendam *Bibliothecam*, quam reliquerat filiis doctis *Bernharo* & *Everharo Tegederis*.

Nunc ad GROVIUM tendimus, de quo sic *Buschius* prædicto loco scribit:

Hinc *Grovium* nostræ placuit junxisse cohorti,  
Hic favit ingenuis, laurigerosque colit.

Ad *M. Joannem Grovium* scripsit epigramma *Buschius* eodem lib. 2. Epigrammatum, ubi inter cætera de illo sic scribit:

Tu requietus amas libros, & murmuræ vulgi  
Contemnis, vatum plectra lyramque colis.

Certo sine tuos fugis instaurasque labores,  
Omnia servata commoditate geris.

Et mea si detur, en talem sibi carmina quærunt,  
Cui sit cura Chelis, castalique latex.

Hoc (tibi dum curæ cessant Langique labores)  
Pignus amicitiae carmen habeto meæ, &c.

Ex hoc postremo disticho observo *Grovium* hunc familiarissimum Langio fuisse, forsan Amanuensis ejus fuit. *Hic submersus* est tempore *Murmellii* circa annum Domini 1506. Quare de illius misero interitu prolixè conqueritur *Murmellius* lib. 3. Elegiarum Moralium elegia 6. & inter cætera ita ejus laudem celebrat;

*Grovium* Andinas solitus tractare Camœnas,  
Eruere obscuris condita sensa locis:  
Occidit heu latiae pariter facundia linguæ,  
Castalides lugent, pulpita docta silent:



Et rursum:

Occidit indigne merfus puteabilis undis,

*Grovius* ille pius, spesque decusque meum.

Qui me præcipuo vivens dilexit amore,

Qui *Sophiæ* cupidis portus & aura fuit, &c.

Fuit ergo ille vir doctus & per id tempus barbarum, reformator  
dictionis sine ullo dubio.

JOANNES ÆLIUS senior (Pater junioris Joannis Ælii, Rectoris p  
Timaninum Scholæ Paulinæ, atque Everhardi Ælii, qui ut trium Episc  
porum Secretarius fuit, & tandem quarti Domini Kettleri Cancellarius,  
ita etiam pater trium Episcoporum Cancellarius fuit, nam eo honore  
publice etiam à doctis in scriptis affectus est, fuit autem *Monasteriensi*  
Cancellarius Joannes Ælius senior sub *Henrico Swartzburgico* Episcopo,  
qui fuit etiam Bremensis Archipræsul, & deinde sub *Conrado Retbergi*  
co Episcopo *Monasteriensi*, qui etiam *Osnaburgensis* Præsul erat, &  
postea sub *Erico Louwenburgico*, &c.) erat Canonicus ad S. Martinum  
Magister & vir doctus, tum quoque Mecænas omnium doctorum,  
utinam tales essent omnes hodie Cancellarii in aulis Principum ac Ho  
rum, qui prohdolor dorophagi sunt, & nemini magis quam sibi favent.  
Huic *Ælio Cancellario* inscripsit *Jacobus Montanus Odarum* Spiritua  
lium librum, & illum tanquam doctorum patronum doctum celebrat.  
*Buschius* autem prædicto libro 2. Epigrammatum in elegia ad *Langium*  
sic inter reliquos refert de hoc *Ælio* anno 1500.

Æli succedas hos inter habende Joannes,

Cujus amant doctos numina nostra sonos, &c.

Scripsit ad eundem *Ælium* proprium epigramma, quo ipsum cele  
brat: Item *Murmelius* in elegia 1. libri 3. Elegiarum Moralium ad *Ro  
dolphum Langium*, quo celebrat doctos qui suo tempore 1506. fuere  
*Monasterii*, sic de eodem scribit:

Clarus *Joannes* cunctis memorabilis *Æli*,

Temporibus legum justitiæque decus, &c.

Recenset etiam inter doctos urbis *Monasteriensi* suo tempore, in  
prædicta epistola *Petrus Gymnicus Aquensis* eundem.

MORLAGIUS sic in prædicto libro 2. epigrammatum *Buschii* ce  
lebratur:

At tu *Martini* faveas pars una sacelli

*Morlagi*, libros cui cumulasse juvat, &c.

At.

Atque in elegia 1. libri 3. Elegiarum Moraliū sic quoque scribit Murmellius de eodem :

Non tanti fulvum curat Morlagius aurum,  
Quanti doctrinas æstimat atque libros.

Scripsit & propriam elegiam ad *Henricum Morlagium* Canonicum Martinianum in libro 3. Elegiarum Moraliū *Murmellius*, ubi inter cætera sic refert de eo :

Te juvat egregiam *Morlagi* Bibliothecam  
Condere, & innumeros explicuisse libros.

Cæperat tunc ille græcam linguam fideliter scrutari & profiteri ut audio, &c.

Recenset quoque viros doctos urbis Monasteriensis, qui anno 1506. floruerunt *Murmellius* elegia 1. ad *Rodolphum Langium* libro 3. Elegiarum Moraliū, & nominat hos celebratque carmine, *Buschium*, *Tegederum*, *Ælium*, *Timannum*, *Modersonianum*, *Petrum Aquensem*, *Morlagium*, *Joannem Iserlonium*, *Jacobum Montanum*, *Joannem Rotgerum*, *Bavincum*, *Peringium*, &c. Ex his diximus in libro 3. de *Buschio*, & *Jacobo Montano*, atque jam in hoc libro diximus de *Timanno*, *Peringio*, *Rotgero*, *Petro Aquensi*, *Tegedero*, *Ælio* & *Morlagio*.

De *ISERLONIO* (quis fuerit ille plane ignoro, nec ab aliis senibus cognoscere potui) sic scribit *Murmellius* elegia 1. libri 3. elegiarum Moraliū :

Hujus *Joannes* non *Iserlonius* expers  
Laudis erat, sacra relligione pius, &c.

Unde apparet Monachum fuisse illum, vel Minoritū, vel fratrem, &c.

De *MODERSONIO* autem sic scribit ibidem :

Docte *Modersoni* te dextro lumine Phœbus  
Respicit, & capiti frondea ferta parat.

Celebrat eundem elegia 12. lib. 4. Elegiarum Moraliū, cui istam inscripsit, & appellat hunc, *Joannem Modersonianum* venerabilem eruditione virum, (ubi autem fuerit Sacerdos non addit) & inter cætera ita de illo ludit :

Clare *Modersoni*, qui consuetudine dulci,  
Docta simul mecum cedere verba soles, &c.

De *BAVINCO* sic scribit in prædicta elegia 1. libri 4. Elegiarum :

Clarus *Bavincus*, clarus *Peringius* una,  
Militia mecum non sine laude merent, &c.

Scriptis ad *Ludolphum Bavincum* Metelenium elegiam 14. lib. 4. elegiarum Moralium de præconio Thomæ Aquinatis, ubi ipsum in titulo artium magistrum doctissimum appellat, &c. apparet Bavincum collegam Murmellii sub Timanno fuisse, & sunt qui putant illum Præfectum 4. classis fuisse ante Horlenium, &c.

JOANNES OISTHUSIUS, Monasteriensis, elegia 8. in libro, Elegiarum Moralium celebratur à *Murmellio*, cui & ingenium & doctrinam ibidem tribuit Murmellius, & urget ut pergat in inceptis studiis.

BERNHARDUM AVERDUNCUM, Juristam Monasteriensium, sic salutavit in epigrammatis Murmellius de laudibus vini differens:

Post juris studia & lites operasque forenses,  
Exhilarare mero corda soluta decet, &c.

BERNHARDUS MOMMIUS, ad D. Ludgerum Decanus, fuit vir doctus tempore Murmellii, cui idem *Murmellius* inscripsit sua *Rosaria* vel *Florea* divæ virgini sacra, & in præfatione illi præter dignitatem, humanitatemque tribuit peritiam rerum, juris cognitionem, ac artium egregiam scientiam & eruditionem non vulgarem.

Novi ejusdem cognominis Consulem urbis Monasteriensis ALBERTUM MOMMIUM, Bockholtianum, L. L. Licentiatum, qui Officialis antea fuerat, virque doctus erat.

JOANNES DOBIUS, Jureconsultus & Majoris Ecclesiæ Scholasticus, in dedicatione Compendii Grammatices correcti celebratur à *Timanno* tanquam doctissimus & eximius vir.

Vixit etiam in *pastoratu Lambertino* post *Vegium*, ut opinor, HENRICUS VERINGIUS, Paderbornensis, huic inscripsit Compendium Dialectices *Timannus*, & virum græcæ ac latinæ linguæ doctum ac scientia conspicuum vocat. Hic anno 1525. (si recte memini) resignavit *Timanno* Parochiam Lambertinam: fuit autem VERINGIUS *Sigillifer*. Nunc est ibidem Pastor *Caspar Oldensis*, meus olim condiscipulus. CASPARUS DROLSHAGIUS ex patriciis ante annos 40. floruit ibidem, & vir fuit doctus, imprimis studiosus ornandæ & constituendæ Bibliothecæ.

Celebrat quoque JOANNEM WESSELINGIUM, Doctorem Medicum, elegia 8. libri 2. Elegiarum Moralium *Murmellius*, sic illum alloquens:

Te salvere jubent Medicinæ clare Professor,  
Pierides nostræ Pieridumque decus, &c.

Huic.

Huic dedicavit Thesaurum latinæ Constructionis *Jacobus Montanus*. Spirensis, qui ipsum amplissime extollit: opinor istius Doctoris filium esse, qui hodie superest senex admodum ejusdem nominis & cognominis JOANNES WESSELINGIUS, Doctor Medicinæ, vir multæ experientiæ: fuit quoque ejusdem cognominis L. L. Licentiatus N. WESSELINGUS, ante annos 15. Judex urbis.

Facit honorificam mentionem *Horlenius* in epigrammatis cujusdam BERNHARDI *Dreyers*, / Woldensis de Rhene, Pastoris ad S. Jacobum, ob instructam Bibliothecam & eruditionem non vulgarem.

Extollit quoque tanquam doctissimum virum *Horlenius* in Epigrammatis HERMANNUM GUERNUM, quem *Murmellius Guernensem* (quia fuit sine dubio Timanni conterraneus ex oppido Guerna) vocat elegia 5. libri I. Elegiarum Moralium: opinor illum Presbyterum Monasteriensem fuisse: & alterius cujusdam JOANNIS FABRI, Wernenensis, in fine dedicatoriæ epistolæ, quam suis commentariis in Prudentium, ad Joannem Rotgerum, scripsit, sic meminit: Vale, ex aedibus Joannis Fabri Wernenensis, Diaconi Ecclesiæ Monasteriensis dignissimi.

Celebratur etiam in iisdem *Horlenii* epigrammatis ab insigni eruditione Sacerdos quidam Monasteriensis HENRICUS BERGIUS, Horstmariensis.

Vixerunt Monasterii in regimine Scholæ Ludgerianæ JOANNES VENROT & deinde ARNOLDUS VENROT: JOANNES VENROT suscepit circa annū Domini 1505. *Schola administrationē Daventriæ* & illi factus est Conrektor, qui tamen post Hegium Rector erat ibidem per triennium, BARTHOLOMÆUS COLONIENSIS, latinæ linguæ egregius instaurator, sed regimini non ita habilis, & deinde JOANNES & SERVATIUS ÆDICOLII, quoque Colonienfes, viri propter eruditionem magni nominis, qui ibi linguam græcam & Poëtas tradebant, collegæ ejus erant ibidem: Ad hunc *Venrodum* scripsit elegiam 10. de pecunia in libro I. Elegiarum Moralium, ubi ipsum ita salutat, *Murmellius*:

Qua te laude canam Sophiæ præclare Professor.

Quis post Venradum præceptor fuerit Ludgerianæ, antequam ibi fufciperet Scholæ administrationem *Murmellius*, ignoro: *Successit* autem ibi *Murmellio* VOLSIUS, & post *Volsium* ARNOLDUS VENLO, vir felix docendo, qui mortuus est anno 21.

Presbyterum Monasteriensem, ARNOLDUM BORCKENSEM

de BORCKEN ut virum doctissimum & humaniss. appellat in dedicatione sui libri, quem ex Laurentii Vallæ de summo bono collegit *Peringius*.

JOANNES *Wich* Doctor Juris, Monasteriensis natione, fuit Romæ procurator doctissimi *Reuchlini* in ipsius causa contra *Hochstratum*, quod etiam obscuri viri conqueruntur in libro obscurorum virorum in epistolis ibi sub nomine Philippi Sartoris de Erphurdia & Joannis *Schluohig* ad Ortwinum, &c. Celebrat eundem valde *Henricus Dorpius*, tum quoque ARNOLDUM BELHOLDIUM, Judicem urbis item PETRUM WIRTHEMIUM, Glandorpium, THEODORICUM FABRITIUM nunc Doctorem & alios, qui tempore renati Evangelii docuerunt ibidem & præsertim *Rotmanno* se opposuerunt: Quomodo ipsi disputaverint contra Rotmannum, cui disputationi ex domo fratrum interfuit *Joannes Abusianus* & *Theodicus Brodesfortus*, alibi dicendum erit, ubi etiam referendum est, quid *Antonius Corvinus* egerit contra Regem illum *Joannem de Leida*, nempe in Ecclesiastica Westphaliæ historia inde à renato Evangelico, cui hoc reservamus.

Ex eadem familia Patricii fuere JOANNES & ENGELBERTUS à *Wich* Juris Doctores & fratres: superest adhuc ejusdem familie CHRISTIANUS à *Wich* Doctor Juris, nuper Consul urbis, jam vero Syndicus.

Nunc quoque obiter de iis dicemus, qui in summo templo fuere Canonici & olim à doctis viris celebrati sunt (quemadmodum de *Dobbio* diximus) partim ob doctrinam, partim ob virtutem.

PHILIPPUM de HORDE, suo tempore Præpositum Summi templi ita in Epigrammatis ei dedicatis celebrat *Murmellius*:

Nobilitas triplex pariter te lucet in uno,

Sanguine, doctrina clarus es atque fide, &c.

Et mox in epigrammate ad eundem de nomine *Philippus* ait:

Sed non nitidos equos amare

Quam sacros perhiberis ipse libros, &c.

HERMANNUS LANGIUS fuit Decanus Summi templi ultra annos 20. patruus *Rodolphi Langii*, qui eidem suo patruo dedicavit duos libros carminis Heroici de everfione urbis Hierosolymæ, ubi ipsum celebrat, & facit quoque illum patronum inter alios sui scripti de Westphalia, *Werzerus Rolevingus* anno 1484. & *Murmellius* inscripsit ei elegiam 8. libri 4. Elegiarum Moralium, sic canens:

Temerito virtus sacro decoravit honore,  
 Jure Magistratu fungeris egregio.  
 Justus es & prudens, populo venerabilis omni.  
 Te plebs atque patres sacricolæque colunt.  
 Exuperat cunctas tua magnificentia laudes,  
 Qua merito prisca pones ante viros.

Ibidem elegia 10. sic JOANEM *Balcke* / Scholasticum Summi tem-  
 pli alloquitur :

Quando tuas mecum virtutes mente revolve,  
 Ingenti quodam corda stupore stupent.  
 Est tua præ reliquis probitas illustris & omni  
 Nota loco, gravibus semper amata viris.  
 Relligione Numam vincis, pietate Solonem,  
 Neritium lingua consiliisque ducem.

THEODORICUM *Schaden* / Canonicum Summi templi & Præ-  
 positum Mauritanum ibidem, elegia 6. celebrat his inter ceteros ver-  
 sibus :

Te probitas charum facit, experientia cautum  
 Hinc tibi cum celebri nomine surgit honor.

Est fateor nostro major tua carmine virtus, &c.

Item elegia 7. mox sic HERMANNUM de *Horde* / Canonicum  
 Summi templi celebrat loquens de Justitia :

Hanc colis invicto vir præstantissime corde,  
 Et sequeris Summi iusta verenda DEI, &c.

Fuit *Buschio* familiaris ROTGERUS WISINGIUS, Decanus  
 Summi templi, vir doctus, qui an sit publice celebratus Doctorum elo-  
 gio, ignoro, credo me tamen aliquid tale vidisse, &c.

Istum autem, qui post Smilingium Decanus factus est, nempe  
 GEORGIUM HASFELD, celebravit *Josephus Horlenius* anno 16. in-  
 scribens ei Scholia sua in Epistolam Cypriani ad Donatum; & facit  
 idem ejusdem Hasfeldii honorificam mentionem in edita epistola ad  
 Ottonem Warpurgensem, &c. OTTO ille WARPURGENSIS, di-  
 ctus *Beckmannus*, fuit homo doctissimus, de quo alibi dicam, & vixit  
 Monasterii atque simul ibidem mortuus est ad D. Ægidium, ubi Præ-  
 positus erat, quemadmodum ibi nunc Præpositum agit WESSELUS  
 IBBENBURIANUS, meus olim condiscipulus.

Præpositum Summi templi Monasteriensis hoc tempore BERN-  
 HAR.

HARDUM de MORDIEN græcæ linguæ ac latinæ scribit doctum esse & scientia conspicuum Doct̃or *Joannes Scavastes* in præfatione 3. tom̃i *Postillarum Scæpperi*, qua ei istum tomum inscribit, quod verum esse referunt multi, atque hujus Præpositi fratrem ALEXANDRUM Canonicum Majoris Ecclesiæ Osnaburgensis multi à doctrina & diligentia commendant.

Est quoque Doct̃or JOANNES SCENCKINGIUS latinæ, Gallicæ & Italicæ linguæ ut audio peritus, quem ajunt nunc ad S. Mauritium Decanum esse & virum gravem & doctum. Dicunt quoque ejusdem nominis esse JOANNEM SCENCKINGIUM Decanum summi temporis cui multi eruditionem & virtutem non exiguam tribuunt, alii ipsi Melchioris nomen esse tradunt. Quodcunque nomen illi sit, est vir doctus & celebris ut audio.

LUDOLPHUS HALVERIUS, Monasteriensis, ad S. Martinum Decanus ibidem, LL. Doct̃or clariss. & Consiliarius atque Vicecancellarius apud Illust. Ducem Brunsvicensem Henricum, vir excellentis præsertim in jure ac historiis doctus & in aulis Regum ac multorum Principum propter magnas legationes, quas strenue subivit, est notus. Fuit mihi ille per aliquot annos in tribus Scholis condiscipulus & amicus olim summus.

JOANNES Bent / Monasteriensis LL. Doct̃or, celebris, professor olim est & docuit diu literas in Bursa Montis Coloniae non sine laude: nunc vero in urbe Monasteriensi Consulem agit.

JOANNES SALEMAKERUS, Monasteriensis, apud D. Ketleram antiquis Patribus operam impendit.

Si adhuc sunt reliqui in urbe, vel alibi ex ista urbe nati, qui doctrina & promotionibus claruerunt & clarent, hos mihi indicari cupio, ut sequentibus non sine honorifica ipsorum mentione inferantur: Si qui enim à me prætereuntur, id fit ex ignorantia: Neminem autem cupo rem privare sua laude & encomio, &c.

Nunc tendimus ad eos, qui in ditione Monasteriensi morantur, vel inde nati sunt & propter eruditionem inter scientia claros locum habere debent, etsi nihil scripserint, quod ego sciam.

GERHARDUS GILDENHUSIUS, rexit Scholam Borkena & fuit homo doctus, mortuus est ibidem 1540.

Moratur Cosfeldia Doct̃or Juris quidam JOANNES (hoc opinor illi nomen esse) MOLLERUS, qui dicitur esse in pretio: JOANNES MUR-

MURSÆUS, Tremonienſis, hodie Senator urbis Weſalienſis, vir doctus, Coſfeldiæ præfuit Scholæ & ſimul Monaſterii ad S. Martinum antequam Weſaliam veniret.

HERMANNUS KOUTIUS præfuit *Schola Bechemenſi* ante annos triginta, & reputabatur tunc inter doctos, ſed poſtea factus Sacerdos & Decanus ibidem cepit negligere literas.

Buschius in libro 2. Epigrammatum celebrat quendam doctorem Juris Imperatorii JOANNEM de RENIS, cui multum tribuit, ſic ſcribens:

Exigui quamvis occurras ruris alumnus,  
 Et ſurgant patriæ mœnia magna tuæ,  
 Tu facis extollant vicina per oppida famam,  
 Cunctaque ſint patrio tecta minora tuo.  
 Te vidit docto ſtipata Bononia cœtu,  
 Et tenuit longa non ſine laude mora.  
 Illic Cæſareas ſtudioſo pectore leges  
 Amplexus, Nervas Sulpitiosque refers.  
 Scito jure vales, terſoque poemate polles,  
 O fato genitum candidiore virum.  
 Te dives, te pauper amat, te perſonat omnis,  
 Undique continuo Weſphala turba ſono,  
 Induperatoreas leges edocte Joannes,  
 Præclarum patriæ nomen herosque tuæ.

LUBERTUS ALEXANDER, Meppenſis, Joannis frater, rexit poſt Venrodum *Scholam Daventria* magna cum laude: ibique mortuus eſt.

HOMERUS BUTERANUS, Haſelunnenſis, qui poſt Joannem Hagemannum ſub Timanno Rectore & Horlenio Conrectore ſuſcepit quartæ claſſis præfecturam, quam etiam diu miniſtravit jam mortuo Horlenio ſub Ælio Conrectore, tandem propter Lutheraniſmum deſerere coactus eſt locum & venit *Brunſvigam*, ubi aliquandiu *Rectorem* egit, poſtea *Hervordiam* vocatus eſt & ibi diu Scholis præfuit, tandem in patriam profectus ſenex mortuus ibi eſſe ſuperiori anno dicitur.

JOHANNES quidam ROMÆUS ex pago ditionis Monaſterienſis nomine Diſch oriundus, in Inferiori Germania *Breda Scholam* adminiſtravit, ut erat vir doctus.



CHRISTIANUS SLEIBINGIUS, Frekenhorstianus, primo Osnaburgæ, deinde Hannobera, Brema, Hervordia, & aliquoties denuo Osnaburgæ celebrem ludū literarium aperuit, & magna cum laude Scholis per annos 30. præfuit; nunc vero est inspector Ecclesiarum Evangelicarum in Inclyta Osnaburgæ, de quo sic canit Lenicærus in Elegia ad Ophiacium scripta & edita:

Sæpe jam in nostris Sleibingus mentibus hæret,  
 Osnaburgiæ Gymnasiarcha Scholæ.  
 Vir pius & quo non verbi observantior alter,  
 Qui merito à turba Christi de nomen habet:  
 Disceret ut recte caperetque fideliter artes  
 Ingenuas, illi cura juvenus erat, &c.

Celebravit illum quoque in publicis scriptis *Hermannus Hermannus*.

HERMANNUS BLANCKEVORTHUS, ex ditione ortus, patris autem de Albarslo / fuit Doctor Theologiæ & Pastor Columbanus Colonia, homo doctus & disertus: Hunc *Joannes Velsius*, Haganus, Doctor Juris & Christianus Philosophus, in libro de ratione seu via vitæ humanæ, hoc est, de hominis beatitudinibus edito anno 54. ad Senatū Coloniensem, Germanicum Chrysofomum & decus Theologorum appellavit, ab illo nihil editum vidi: mortuus est Colonia, & in ipsius ædibus mortuus quoque est HENRICUS PROBUS, Warendorpianus, vir studiosus, &c.

Si qui hodie præterea forte in aula Principis Monasteriensis & in ditione docti & promotionibus clari sint, quos ego ignoro, illos peto mihi ab aliis indicari, quò & ipsi nomen ac locum habeant in sequentibus libris.



LIBER QUINTUS  
VIRO RUM WEST-  
PHALIAE SCRIPTIS & DO-  
CTRINA ILLUSTRIMUM,

Qui continet claros & celebres ali-  
quot viros ditionum Osnaburgensis, Paderbor-  
nensis & Mindensis,


<sup>qui à</sup>  
TRITHENHEMIO, KRANTIO, GESNERO, LY-  
COSTHENE & SIMLERO  
non recitantur,

<sup>Autore</sup>  
HERMANNO HAMELMANNO,  
Licentiate Theologo.

---

*Si quos hic pie lectore ignoranter praterirem, illos precor mihi à te benigne,  
adjectis quoque eorundem vel Scriptis, vel indicata ipsorum conditione,  
per epistolium breve significari, ut isti aut sequentibus libris, aut proprio  
libello, quem ita ex ignorantia omissis reservabo, inserantur, &c.*

Anno Domini 1564.



*Integerrimis Viris, prudentia, usu rerum, gravitate,  
ac vera religionis cognitione excultis*

Domino JOANNI DUNHOVIO, Quæstor  
arcis veteris Ravensburgicæ,

*Et*

Domino WILHELMO BRINCKIO, Secretari  
Imperialis & Splendidæ urbis Westphalorum Tremoniaë,

*Nec non*

Domino CHRISTOPHERO GLASEMAKERO  
Civi Osnaburgensi, &c.

*Suis Patronis, conterraneis, & amicis colendis,*

HERMANNUS HAMELMANNUS,  
Osnaburgensis, gratiam Filii DEI precatur.

**D**iogenes Laertius de vitis Philosophorum scripsit, deinde referunt quidam scriptores, alibi extare in Bibliothecis Italicis libros Dionis Chrysoliti de Poëtis: Ita Cicero de claris Oratoribus, Suetonius de claris Grammaticis atque ut ad nostros accedamus Theologos, Hieronymus & Gennadius de scripturis Ecclesiasticis scripta vulgarent. Dolendum igitur est, quod nostri magis neglexerunt præclara illa ingenia, quæ olim in nostra patria, quando ibi nova illa Academia à Carolo Magno apud Cathedralē Ecclesiam instituta, in qua Græca ac Latina lingua Professores ac Canonici docti erant, floreret, vel etiam alibi Paderbornæ, Monasterii ac Mindæ in Scholis istis celeberrimis, quæ tunc in Cathedralibus Ecclesiis loco Universitatum conspicua erant, claruerunt, qui digni quoque fuerant absque ullo dubio, ut eorum adhuc notitia extaret: imo potius detestanda est istorum incuria, quod scriptis suis posteritati tantorum hominum monumenta, dona ac vitam non commendaverint. Tantum de uno Hartmanno, vel ut Krantius ait, Hermanno, olim ante trecentos annos literas magna cum laude profitente, Paderbornæ in collegio, obiter & per occasionem, cum Vielinii vita describitur, legitur apud Helmodum & Krantium: Vere ergo deplorandum est illud, quod sinerent tantorum virorum in nostra patria & vicinis locis memoriam ita perire veteres: Sed cum horrida barbaries inciperet ante annos centum omnia occupare, & deinde neglecta & destructio Bibliothecarum in multis locis subsequeretur ante annos quadragesimos, forsitan etiam antiqua monumenta, in quibus multa de majorum virtute, doctrina ac actis scripta extitissent, à blattis & tinnis consumpta sunt, vel quadam incuria mercatoribus tradita, ut nobis plane perierint: Ita proh dolor accidit, ut nobis de

majorum nostrorum eruditione & celebritate nihil constet: Speramus interim quosdam eorum in libro vita scriptos esse, quorum memoria nobis interiiit. Ego tamen ut aliqua ex parte corrigerem & resarcirem negligentiam istam Majorum, in certos redegei libros istorum nomina, scripta, dona ac vitam, qui ex Westphalis ad nostram pervenere notitiam. Cum autem ad librum quintum pervenissem, quo nostrates civis doctrina conspicuus, qui mihi noti sunt, celebros, cogitavi hunc præsertim, si unquam alias eorum, qui in nostra patria celebres & clari jam sunt, honorificam mentionem feci, & quosdam de patria nostra libellos, eisdem inscripsi, nostris conterraneis & congenilibus dedicandum; itaque ex aliis vos meos conterraneos potissimum delegei patronos, quos novi olim amicos & fautores mihi fuisse: Gaudeo namque & hoc nomine gratulor patriæ, quod nostri quidam congenites ad dignitatem in aliis urbibus & regionibus ascenderint. Wesselus Anckummius Osnaburgensis, excellens Scriba claruit Colonia, duo eximii fratres Brcelii Osnaburgenses in Ducatu Clivo magnifuerunt: alter enim Scriba ibi Provincialis erat, alter Incluta urbis Wesalia agit Secretarium, nam enim adhuc superesse credo; Tu etiam ornatissime Johannes Quæstor diu in Comitatu Ravensburgico claruisti, & ante paucos annos tibi accessit ex nostratibus collega vir egregius Joannes Holscherus, Osnaburgensis, Quæstor in Limburg arce ejusdem Comitatus, (cui ut communi amico hanc dedicationem cupio tecum communem) tuæque Wilhelme præstantissime industria te ad Secretarii munus splendidum in amplissima & Imperiali urbe promovit: Tu vero Christophere erudite in patria ex tuis bonis, studiosis piisque benefacis, itaque merito tua Præstantia, Quæstor Dunhovi, propter veterem nostram amicitiam, quam non solum mecum, sed etiam cum meo patre Everharde habuisti olim, deinde quod & mihi & aliis studiosis fautor fuisti, cujus rei testis est ornatissimus Juvenis Henricus Hogestenius, Bileveldanus, tum quoque tua Integritati Wilhelme, Secretarie, propter ingenuam modestiam, candorem ac pietatem, quam olim in te perspexi ego, quam etiam in te deprehendunt hodie omnes boni, atque demum tua, Humanitati Christophere Glasemakere, qui diu à Luthero, Philippo & aliis veram de Deo doctrinam didicisti Wittenberga, propter beneficia, qua jam in studia & viros doctos liberaliter confers, qua etiam de causa multis gratus es, hæc dedicare volui, & scio vos tres esse viros integritate, prudentia, usu rerum & candore præstantes, doctrina quoque & vera religionis cognitione iunctos, & quidem dignos, qui viris patriæ nostræ scientia claris annumerari debeant. Habetis causam dedicationis: Potuissim aliunde mihi deligere Patronos, sed quia patrios celebrare plane constitui, vos etiam concives nostros in patronos delegei, tum ut amicitia nostra durabilior esset, tum ut vos reliquis Westphalia & præsertim patriæ nostræ viris doctrinâ claris apponeremini. Spero autem V. H. nostram operam gratam fore, & oro, ut Hamelmannum commendatum vobis habere dignemini. Valere!

## PARS PRIMA,

De ditionis OSNABURGENSIS viris quibusdam,  
partim scriptis, partim doctrina illustribus.



D ditionem & urbem *Osnaburgensem* refertur *ex primo li-  
bro* virorum Westphaliæ doctrina illustrium, THEO-  
DORICUS de Ossenbrug/ qui amplissime à Trichent-  
mjo celebratur.

*Ex secundo* libro huc referuntur Wiso/MEINGERUS, GOSBER-  
TUS, EGELMARIUS, DROGO, THEITMARIUS, BENNO 2. vel  
BERNHARDUS, ADOLPHUS, GERHARDUS, WEDEKINDUS,  
BALDEWINUS, Doctor LUBERTUS de Wend/ Doctor JOANNES  
Hoed/ THEODORICUS de Horne/ CONRADUS de Deyffeste,  
CONRADUS de Ketberg/ &c. Episcopi Osnaburgenses, quibus adde  
ex eodem LUDOLPHUM de Holste/ Episcopum Monasteriensem  
Heroa egregium, & JODOCUM HOITFILTERIUM, Doctorem &  
Episcopum Lubecensem.

*Ex libro autem tertio* Osnaburgensibus annumeratur HERMAN-  
NUS BONNUS: JOANNES vero POLLIUS, HENRICUS  
VRUCHTERUS OLPHENIUS, quoque eisdem inde annumerari  
possunt, &c.

*Ex libro autem quarto* recta etiam inter nostræ ditionis homines lo-  
cum habere debent JOANNES ALEXANDER, Meppensis, CHRIS-  
TIANUS SLEIBINGIUS, HENRICUS SIBÆUS OLPHENIUS,  
BERNHARDUS LINGIUS, quia isti Scholis Osnaburgæ præfue-  
runt, &c.

QUINTUS autem HIC LIBER reliquos nostræ ditionis & duarum alia-  
rum dicecesium dabit. Incipimus igitur feliciter, & primo de iis, qui  
scriptis claruerunt in dicecesi Osnaburgensi, &c.

ALBERTUS SUHOVIUS, Osnaburgensis, Decanus fratrum Ca-  
lendarum Ecclesiæ Mariæ Osnaburgensis magister, *scripsit* commen-  
tarium anno 1445. in *hymnum* pium Lauda Sion salvatorem, profecto  
non indoctum, deinde quoque *commentarium* in venenatum hymnum,  
Ave Maris stella, &c. ubi fatetur quidem Mariam recte invocari, sed à  
solo tamen Christo salutem expectandam: vidi ejus commentarium  
utrumque in tribus diversis Bibliothecis.

HERMANNUS de SOLDIS, Osnaburgensis, Professor Theologicus & ordinis Augustini eremitarum, Speculum *scripsit* eodem tempore ad Episcopum Osnaburgensem & totum clerum in urbe & diocesi, &c.

ERTWINUS *Ertman*/ Consul Osnaburgensis, *scripsit* Chronicon Osnaburgense, cujus ego, aliquoties mentionem feci in scriptis nostris de Westphalia, & statui, si id per sumptus fieri possit, in lucem dare.

JACOBUS GRESELIUS, Bamescanus Osnaburgensis, Professor artium clarus in Bursa olim Corneliana Coloniae ante annos 50. *cujus carmina & epigrammata* vidi in diversorum operum commendationem; praesertim Aristotelica, quae tunc prodibant, &c. *Joannes Casarius* in Epistola quadam, cujus mox mentionem faciam, vocat illum liberalium artium Professorem strenuum, aitque ipsum non vulgari modo profiteri bonos autores, sed juxta rationem & institutionem auditorum pro temporis conditione, deinde quod idem Grefellius eloquentiam cum Philosophia conjunxisset, &c. Postea idem factus est Canonicus Resellianus.

JOANNES GRUTHERUS, Althufianus Osnaburgensis, commendatur in praefatione, quam praefixit Joannes Casarius, Tobiae libro, separatim edito ad hunc Grutherum, quem ab eruditione celebrat & magni facit ibidem, atque ea est epistola, in qua ita Grefellius commendatur: Hic mortuus est in patria Pastor Althufianus.

GUILHELMUS SANTPHURDIUS, vixit Osnaburgae per annos 20. partim in Scholis, partim in Ecclesia: Tandem venit Stadam, postea Luneburgam, ubi docuit fideliter Evangelium & ibidem mortuus est hoc anno 1564. *Edidit* farraginem Biblicam carmine Heroico scriptam: item librum de perpetua Ecclesiae conservatione: tertio concionem etiam de angelis emisit: Emittet, ut opinor, in lucem ejus conciones in Evangelia Dominicalia Lucas Lossius.

FREDERICUS STAPHYLUS, Osnaburgensis, natus inquam in platea Inclytæ urbis Osnaburgæ dicta die Krane-Strasse/ ex parte; cujus nomen fuit Ludeke Linge genant Staprade: aedes paternas Staphyli hodie inhabitat quidam coriarius dictus Salomon Koninck: mater ejus fuit *Susato* oriunda ex quadam *Sceperorum* familia: Natus est igitur Osnaburgæ, sed educatus in Lithuania ab avunculo: Ipsius cognata ex Amita (Staphyli) nata, adhuc superest Osnaburgæ, & nunc nupit *Christophero Glasemakero*, quondam Staphyli discipulo Wittenbergæ existius etiam

etiam fœminæ commendatione, ad quam aliquoties scripsit, adde quod D. Christianum Sleibingium sæpe conterraneum Wittenbergæ nominaverit, & sæpius per literas gratulatus sit Guilielmo Santphurdio hoc nomine, quod juventutem pie institueret in sua patria, &c. Hæc propterea referre volui, quod Staphylus aliquoties negaverit patriam, primo Augustæ, cum per famulum nunciaret D. Præposito Summi templi Osnaburgensis *Iusto Dincklagio*, se non esse Westphalum, nedum Osnaburgensem: Persuaserat etiam Professoribus Regiomontanis se esse Lithuanum, hinc *Gnaphæus* contra illum scribens, appellat ipsum Lithuanum: Ipse etiam in libro contra Turris Babylonicæ ædificatores non obscuris verbis subindicare videtur, se esse Bruttenum, &c. Quicumque tandem voluerit esse, parum referebat: Potuit & potest profecto nostræ patriæ tali Apostata carere: Fuit autem in Polonia primum in Schola Cracoviensi, postea profectus est in Italiam cum quibusdam nobilibus, postremo venit Wittenbergam, ubi per annos decem hæsit, & diu privatim artes professus est, doctè referens per omnia in prælectionibus Philippum, à quo tandem ad novam Academiam Regiomontanam mittitur: ubi & Theologica & Philosophica magna cum laude interpretatus est, atque fuit veræ doctrinæ semper utrobique observantissimus: In ea autem Academia primo contendit cum *Guilielmo Gnaphæo*, postea etiam cum reliquis se cœpit graviter opponere *Osiandro*, & propter illius etiam controversiam discessit Regiomonte Danaticum, & ibi commoratus edidit prolixum scriptum contra *Osiandrum*, cujus titulus fuit: contra dogmata *Osiandri* Synodus sanctorum patrum; atque in istius libri præfatione cepit primum prodere Papisticum Spiritum: inde se recepit in Silesiam, & Nisæ habitans cepit se in Papistarum consuetudinem insinuare, atque ita demum promotione Passaviensis Episcopi innotuit aulæ Cæsaris & Bavarici Ducis Alberti, atque Archiepiscopi Salsbergici & aliorum Episcoporum: Omnium autem primo se manifestum prodidit Papistam in colloquio Wormatiensi, cum non solum staret à partibus Papistarum, sed etiam ederet Trimembrem Epitomen Theologiæ Lutheranae, qua nullus unquam liber virulentior, mendacior & pestilentior est editus contra veram Christi doctrinam: mox constitutus est Professor Theologus in Schola Ingolstadiensi, atque ibidem promotus Doctor: Ejus latina & germanica scripta contra filii Dei doctrinam, & in sancta Dei organa effusa, plena inquam blasphemis, quibus D. Lutherum, atque omnes Ecclesiarum

columnas & fulcra, sanctissimaque capita virulentissime & ad extremum usque perstringit, extant tanto numero, ut vix istis ferendis unus equus sufficeret: Sed huic se scriptis fortiter opposuerunt, *Philippus Melanchthon, Andreas Musculus, Joannes Calvinus, Jacobus Andrea, Petrus Datenus, Cyriacus Spangenbergius, Matthias Flacius Illyricus, & Hieronymus Ruscher*, quorum integra contra ipsum scripta extant, adde quod *Felix Fidlerus, Joannes Major, Petrus Vincentius* carmine illum perstrinxerint: dicitur hoc anno 1564. Ingolstadii mortuus esse 7. Aprilis. Si doni recte usus fuisset Staphylus magnus in Ecclesia Dei esse potuisset: nam erat profecto ingenium, eruditio, eloquentia, cognitio linguarum, ac memoria in illo eximia, & si in quo alio, in illo præcipue ista lucebant: Verum solet plerumque Diabolus tantis ingenii ac tam excellenter illustratis naturæ dono abuti.

GEORGIUS BARTH, Osnaburgensis, primo fuit Concionator in patria, deinde hæsit aliquandiu Wittenbergæ, unde venit promotus Magister & factus est minister Evangelii Lubecæ, charus admodum Bonno, ubi nunc Pastor est Ægidianus, cujus scripta quædam, vulgari idiomate prodierunt, primo contra Oslandrum, secundo contra Judæos, tertio librum edidit de immortalitate animæ ad Regem Daniæ: item Homilias aliquot de Lazaro evulgavit, & adhuc superest in Domino vir constans, pius & bonus, plura meditans.

JOANNES SUM, Osnaburgensis diu hæsit Wittenbergæ & ibidem scripsit duo epigrammata in mea quædam opuscula, quæ anno 1554. ibidem prodibant contra Papistas, quibus tunc meum revocabam errorem: deinde postea aliquot psalmos ut 2. 8. 28. 128. 129. 139. tum etiam Germanicam cantionem, *Erhalt uns HERR!* & cantum, *Dapacem Domine, Sapphyco* carmine redditis edidit: deinde gubernavit Scholas in *Francenhusen* Thuringorum, deinde *Rige in Livonia*, tandem reversus Wittenbergam suscepit gradum magisterii & deinde à Theologis missus est Bremensibus tunc petentibus Evangelii ministros, sed non diu potuit illic hære apud factiosos, qui alios bonos viros & doctores Evangelii ejecerant: Itaque ille cum ipsis non gratificaretur, vix anno elapso expellitur: ita in exilio hærens per annum, tandem in Ducatu Brunsvicensi opera Doctoris, *Morlini* conditionem consequitur hoc anno 1564.

EVERHARDUS LOTHMANNUS, Osnaburgensis, fuit in diversis Universitatibus, præcipue autem in Rostochienti, in qua & Licentiatatus



tiatus est Juris, & simul Jurisprudentiæ facundissimus Professor: Scripsit eruditum carmen de laudibus ut opinior Papiniani, quod epigrammate commendavit *Philippus Melanchihon*, ubi inter alia sic scribit de illo: Carmine quam recitas docte Eberharde tuo, &c.

Cum ipse conjugium iniret Rostochii, scripserunt huic Epithalamion *D. Chyrenus*, *D. Simon Pauli* & insignis Poëta *Bocerus*, tum quoque *M. Wurtzlerus*: Boceri Poëtæ, propter excultam venam charissimum quondam *Sabino*, *Stigelio Schoffero* & aliis Poëtarum nostri temporis Principibus, de *Lothmanno* Censura inter cætera hæc est:

At sapias ac hujus gaudes te numine flecti,

Et decus & generis lux Eberharde tuæ, &c.

D. Simonis Pauli hoc est de Lothmanno judicium:

Vive diu felix chara cum conjugem magnum

Pierii cætus docte Eberharde decus, &c.

Scripsit in eadem Academia FRANCISCUS DEJUS, Osnaburgensis, orationem de obitu cujusdam Doctoris Rostochiani N. ad Episcopum Osnaburgensem, evulgatam ibidem, is quoque fuit juris studiosus & dicitur nunc agere Romæ, eique fuit olim Rostochii in studio socius, THEODORUS BREMERUS junior, Osnaburgensis patritius, &c.

JODOCUS HOCKERIUS, Osnaburgensis, fuit Goslarie apud magnum illum historicum *Joannem Glandorpium*, unicum doctorum Westphaliæ decus, quondam Conrector, nunc vero est Pastor ad *S. Johannem* in suburbio nostræ civitatis *Lemgoviensis*: atque duo erudita evulgavit scripta, quorum alterum habet titulum, *der Bann-Teuffel* contra exorcistas circumferaneos & præsertim illum impostorem cæcum *Simonem*, qui dedit pœnas suæ nequitiae, erudite congestum: alterum scriptum continet *concionem*, quæ fuit hoc anno necessaria *de fano & annona caritate*, atque ejus origine: collegit etiam absolutam *explicationem Evangeliorum* Dominicalium ex omnibus Evangelistarum Interpretibus nostri seculi magno labore, & usus ad hoc mea, tum publica atque etiam sua Bibliotheca, sed tantum volumen nondum prodit: collegit quoque ita *summam Catechisticam*: Et aliquando promisit de rebus veneficiis vom *Zauber-Teuffel* libellum: Adhuc superest sanus integer & laboriosus in suo ministerio, florens ætate & ingenio, qui multa præstare potest.

Vixit & mortuus est in Pastoratu ad D. Virginem CONRADUS ECKEN-

ECKENDOHPHIUS, hujus Comitatus Lippiensis alumnus, magister & quondam Ludi literarii apud *Paderbornenses* gubernator egregius, postea *Pastor Lagenfis*, & tandem *Osnaburgensis* factus est, vir pius & doctus, cujus aliquando *versionem precatationum Erasmicarum* in nostram linguam excusam vidi: Hic enutrivit CHRISTOPHERUM GERENBERGIUM, Lagum, & FREDERICUM IGENHUSIUM, sed posterior immatura morte, licet ingenio miro præditus esset, ereptus est, prior vero factus est *Osnaburgensium Secretarius & Senator*, & adhuc ibi in summo honore superest, *ejusque carmina* erudita de morte excellentium *urbis Osnaburgensis*, qui suo tempore occubuerunt, virorum excusa sunt: cum *Sibei Olphenii* scripto de obitu clarorum virorum apud *Osnaburgenses* intra paucos annos piè vita functorum, &c. Estque *is Christophorus celebratus ab Hamelmanno in scripto de Antiqua Westphalia*, &c. propter doctrinam, usum rerum & favorem, quo doctos prosequitur.

LEBERTUS MELMANNUS, Quackenburgeris, Vicarius Summi templi, magister artium est, qui fuit in eodem aliquando templo & Conrector & Rector Scholæ: is de celebri ingressu in urbem *Osnaburgensem Joannis de Hoya*, Episcopi *Osnaburgi*aci, carmen scripsit, quod tamen non est editum.

Est quoque Quakenburgæ Canonicus GEORGIUS HOLSCHE-RIUS, *Osnaburgensis*, qui multa scripsit & scribit carmina, quorum tamen nihil extat: Scripsit quoque ante annos quindecim & publicavit per urbem & in diversis in *Westphalia* locis elenchum librorum prælegendorum, atque simul in eodem, rationem instituti reddidit HUBERTUS BRINCANERUS, *Keiferswertanus*, anno 1549. quando ibidem gubernationem Scholæ susciperet, sed false est tunc derisus ab aliis doctis: quemadmodum quoque ejus successor accidit HERMANNUS STEINHUSIO, *Novesiano*. Brincanerus in ista sua præfatione Elenchi amplissime celebravit HERMANNUM BRAVIUM, tunc Scholasticum Summi templi: quem etiam olim *Henricus Scavins*, de quo libro 4. dictum est, cum *Johanne Smisingio*, nunc ibidem Decano, & *Johanne Mellinckhusio* carmine & epistolis celebraverat, ut in lib. 4. obiter annotavimus.

Vixit in mea aliquandiu patria ADOLPHUS CLARENBACCHIUS, *Lenepensis*, sanctus martyr, cujus historia ubique extat.

Nunc tendimus ad eos, qui eruditione clari fuere vel adhuc sunt *ex Osnaburgensibus*, quanquam scriptis suum nomen, quod ego sciam, non commendaverint posteritati.

WIGBOLDUS de Holte / Baro vel Comes ( hos ex quibusdam privilegiis Barones majores vel Comites dominosque fuisse ostendit *Ertwinus Consul* in Chronico Osnaburgensi ) *Archiepiscopus Colonienfis* anno 1298. factus est, vir admodum doctus & prudens, ut testatur Chronicon Colonienfe; qui in morbo, quo etiam *mortuus est Susati*, saepe sumpsit Eucharistiam, qui respondit interrogantibus, cur hoc faceret? sibi viaticum esse.

LAMBERTUS de Bevesen / quondam praepositus ad S. Joannem Osnaburgae & in *Schiltesche* / & Canonicus Majoris Ecclesiae Osnaburgensis, atque antea Mindae officialis, admodum celebratur à doctrina & experientia juris ac scientiae ab *Errwino Ertman*, Consule Osnaburgensi in Chronico Osnaburgico : hic fuit autor *Ertwino* congerenda *historia Osnaburgiadam*, atque *Chronicon Schoewenburgensum* atque aliorum Heroum colligi & describi curavit, fuitque antiquitatis admodum studiosus.

Inter Canonicos Osnaburgensis Cathedralis ante annos centum tanquam doctos & egregios viros numerat *Ertwinus* DETHARDUM SLEITERUM, LL. Doctorem, ac Decanum Bremensem, atque EVERHARDUM *Safprein* / Decretorum Doctorem, & Decanum Daven- triensem, tum M. GERHARDUM de *Seden* / praepositum Bramescanum.

Magister JOANNES FUESTIUS, Osnaburgensis, fuit Rector Scholae Martinianae Monasterii eo tempore, quo Murmellius erat Con- rector in Summo templo, circa annum 1508. post venit *Bremam*, ubi postquam celebrem Scholam aperuisset, incendio & suos libros & aedi- ficium Scholae perdidit, tandem reversus est Osnaburgiam anno 10. post mille quingentos annos & cepit ibi, quemadmodum etiam antea ibidem Scholae praesuerat, egregiam adornare Scholam, sed mortuus est anno 14. & tunc huic in Scholae regimine successit *Grutherus*, de quo dictum est, &c.

Oportet autem nunc ordine referre, qui nam docti ibidem *Scholarum* post *Grutherum* fuerint, primo JOANNES ALEXANDER, Meppensis, cui Conrektor erat *HENR. SIBÆUS*, deinde *HENR. VRUCHTER. OLPHEIUS*, RODOLPHUS MOLLERUS, post Mollerum (de quo aliquoties dictum est & mox dicetur) LUDOLPHUS COCCIUS, Bileveldianus, vir do- ctus, tandem CHRISTIANUS SLEIBINGIUS, quo discedente *Wir- tenbergam* nunquam ibi (puto in summo templo) fuit celebris Schola, nisi illo redeunte. Nam *Henricum Warendorpiannum*, *Hieronymus Grestius*, *Geert*

*Georgius Faber*, ut puerorum erant formatores, ita puerilem ibi tantum Scholam habebant, postea vocati sunt ad gubernationem Scholæ istius BRINCKANERUS & LITHODIUS, de quibus diximus, deinde adhuc duo docti viri BERNHARDUS LINGIUS & ADRIANUS BREDANUS, sed res ipsis non admodum bene cessit: interim civium Scholæ fuerat frequens & celebris, in qua primo GUILHELMUS SANTPHURDIUS, deinde CHRISTIANUS SLEIBINGIUS, post HENRICUS SIBÆUS, Olphenius, rectores fuere, eisque docti collegæ erant, EVERHARDUS BARCHUSIUS, Hannoveranus, & HERMANNUS BURINUS, ditionis Osnaburgensis, qui erant in lingua græca & Hebræa versati: Sed per interimisticam factionem turbata Scholæ civium, cum tandem viderent Canonici majoris Ecclesiæ, se frustra aliunde doctos ad gubernacula Scholæ vocare, tandem revocaverunt Christianum, cui tunc fuit Conrector & mox successor LAURENTIUS HESSUS, de quo sic Bocerius cecinit:

Te quoque, quem triplicis cohonestat gratia linguæ,  
Promeritum nostris versibus Hesse canam, &c.

Scribit idem doctum & egregium carmen, &c. Nunc est LUDOLPHUS HANEMANNUS, Osnaburgensis, gubernator Scholæ ibidem & ei Conrector SIMON HAGEMANNUS, Lemgovientis, &c.

Fuit olim ante annos 54. Ludimagister ad S. Joannem JOANNES WINTINGIUS, Osnaburgensis, juvenis eruditissimus, discipulus olim Hegii anno 1500. Daventriæ, & deinde Murelii anno 1502. Monasterii, præceptor trium Comitum de Baldech / quorum duo ad maturam ætatem pervenerunt, alter enim Philippus gubernator Patriæ, alter Franciscus factus est Episcopus postea Osnaburgensis & Monasteriensis, &c. Hic Wintingius fuit quoque eodem tempore præceptor Eberhardi Voltlagii Doctoris, qui cum multis aliis prædicare solitus erat ipsum: sed moritur is immatura morte, anno Domini 1512. & huic tunc successit Magister quidam HERMANNUS N. mihi admodum adhuc puero senex notus, &c.

Facta est alibi ab Hamelmanno in publicis scriptis honorifica mentio ARNOLDI de CASTRO, quondam Præpositi, & HERBORDI de Baer / olim Decani Summi templi: atque ab eodem celebratus est propter facundiam & eruditionem Episcopus Osnaburgensis JOANNES de Hoya Comes in duobus publicis scriptis, tum quoque Cathedralis nunc Præpositus JODOCUS DINCKLAGIUS.

Fuerunt in Ecclesia Joannitica semper egregii viri Decani, quorum

ego non recordor, interim ibidem in Decanatu fuere plerique mihi vel de nomine, vel ex facie noti Doctor N. DALLIUS, Mag. JOANNES MERCELLUS, Cancellarius Erici ex Ducibus Brunsvicensibus de Grubenhagen orti, & Episcopi Osnaburgensis, &c. deinde M. JOANNES MELLINCKHUSIUS, Consiliarius Francisci Waldechiani Episcopi Osnaburg. vir pius, doctorum patronus, cui nunc successit in Decanatu egregius vir LL. Licentiatus CONRADUS de CASTRO.

Fuit ibi senior & Canonicus EVERHARDUS à Vostelen / Præpositus Wormatiensis ad Sanctum Andream & Thesaurarius summi templi Mindensis, Doctor Juris, vir miri ingenii & memoriæ excellentis, meus cognatus, de cujus memoria & eruditione sæpe commemorare solet *Christiannus Sleibingius*: Ejus curiam illo mortuo occupavit Mag. JOANNES Monnic / Præpositus in Leveren / & ibidem Scholasticus.

In Senatu, ut dixi, fuit olim ERTWINUS Consul, deinde Senator Doctor LANGIUS, cujus est Gener CASPAR VARENDORPIUS, Sætrapa in Hunteborg & Wittlage / item JODOCUS ROLANDIUS, Doctor juris, fuit Consul & Magister JODOCUS HETLAGIUS, consulatum ibidem gessit, JOANNES VORTCAMPIUS, Judicem ibi agit, RODOLPHUS HAMMAKERUS, Pensionarium & Senatorem, viri que & literis & moribus tincti atque studiosis faventes sunt.

JOANNES MORINGIUS, Osnaburgensis LL. Licentiatus & Officialis nunc Maguntinensis, diu professus est bonas literas Colonia: adhuc superest.

HERMANNUS BRAVIUS, Osnaburgensis, LL. Licentiatus, in Phrisia politiis infervit hodie.

JOANNES SARTORIUS, Osnaburgensis, eruditus LL. Licentiatus in patria multis infervit.

Doctor *Medicus* N. PLESSIUS, Osnaburgensis, in patria clarus sed mox Juvenis mortuus est ante annos 26.

RODOLPHUS HORSTENIUS, Osnaburgensis, Rector Scholæ Stadenensis est, cujus pater *Martinus* pius fuit Consul Osnaburgæ, ejusque frater *Ludolphus* locum nunc patris in patria obtinet.

GEORGIUS SNECAMPIUS, Osnaburgensis, Rector Scholæ Bilsfeldiana & Lemgoviensis fuit, deinde successor sui conterranei MARTI NIMEIBAMI in pastore Alverdissiano.

In urbe hodie agunt Doctores Juris WILHELMUS, Novesianus, & RODOLPHUS VOGTLERUS, Mindensis.

Mag. EVERHARDUS OVERMANNUS, Quackenburgeris, cognatus Bonni, agit Concionatorem Evangelii Lunenburgæ, vir pius & doctus.

Fuerunt in urbe celebres & docti Concionatores Evangelii, *Doctores Theologus* JOANNES HECKERUS, Leodigarius N. JOANNES HUPOLLIUS, LIBORIUS MISSINGIUS (quanquam ille deficeret postea) OLIVERIUS & plerique alii præsertim qui hodie præsunt ministerio, ut D. CHRISTIANUS, & JOANNES OLTHAVIUS aliique, de quibus in Ecclesiastica Westphaliæ historia plura dicemus.

ARNOLDUS KENNINGIUS, Osnaburgensis, est Abbas in Phrisia occidentali celebris. Veluti JODOCUS HOITFILTERUS, Episcopus Lubecensis fuit, in urbe Osnaburgensi ex plebejo genere natus (qui erat olim inter Præsides colloquii Wormatiensis anno 41. celebrati nomine Moguntini Electoris, cum ejus esset ibidem notarius Mag. *Henricus Preckenmollus*: Fuit autem is *Hoitfilterus* magnus in Aula Antichristi Romani, mox Cardinalandus, si vita illi comes fuisset) ita ex ditione Osnaburgica prope urbem originem traxit REMBERTUS KERSENBROCHIIUS, Episcopus Paderbornensis: In ditione ex nobilibus docti sunt, HERMANNUS ab AMELUNXEN, LL. Licentiatus & Satrapa in Gronenberg/ &c. & CASPARUS Schelen/ hæreditarius possessor castri Schelenberg.

M. CONRADUS PAGENDARMIUS, Widenbruggensis, Jurconsultus & Officialis quondam *Werlensis*, ejusque frater JOANNES PAGENDARMIUS fuit Præpositus in Overnfercken/ JOANNES VOLMARUS ibidem Decanus, diu hæsit in studiis Coloniae.

OTTO WILDENUS, Widenbruggensis, Pastor est ad D. virginem Osnaburgæ, JOANNES LIMBURGICUS civis ibidem caufidicus nobilium in vicina est, &c.

De me, qui minimus sum inter Osnaburgenses, nihil dicam, sed reservabo me postremo libro.

Ego interim si hic meos conterraneos & concives urbis & ditionis Osnaburgensis quosdam, qui ibi olim vel claruissent, vel adhuc alibi doctrina præluerent, ignoranter præterirem, id peto mihi ignosci à piis, attamen rogo reverenter ab omnibus, ut tales similesque mihi indicare velint, quo reliquis libris inferantur, vel servantur libello postremo, quo statui à me neglectos & postea ab aliis indicatos ex unaquaque ditione Westphaliæ nostræ, recensere.

PARS

PARS SECUNDA,  
Libri Quinti.

Quæ continet aliquot viros eruditos & doctos ditionis  
& URBIS PADERBORNENSIS.

CUM per occasionem VICELINI meminit *Krantius* lib. 6. Metropolis vel Ecclesiasticæ historiæ cap. 11. dicit illum literas didicisse Paderbornæ sub Hermanno docente apud Ecclesiam vigilantibus atque eum ita profecisse, ut Magistri Coadjutor fieret, &c. Hæc quomodo refert in Saxonia lib. 5. cap. 29. Sed ista clarius refert *Helmodus* in Saxonum historia cap. 43. inquit: Literarum studia florebant sub nobili Magistro HARTMANNO Paderbornæ: & mox cap. 44. & 45. dicitur quomodo Vicelinus ex Paderbornensi Ecclesia vocatus sit ad *Brentem* Scholam, ut ibi suo mortuo succederet avunculo LUDOLPHO de *Teule* atque ipsum plagosum fuisse magistrum: &c. Hæc ita obiter habemus de istis duobus ex historiis, alioqui fuerunt sine dubio ibidem & antea & post, multi docti atque simul in aliis collegiis, quorum nomen & fama nobis incognita est: Sed ex secundo libro nostro virorum doctrina & pietate in Westphalia illustrius referuntur ad Paderbornensem ditionem *Harimarus*, *Baduradus*, *Volcmarus*, *Retharius*, *Unwanus*, *Meinwercus*, *Rotho*, *Imadus*, *Olivarius*, tres *Bernhardi*, *Theodoricus de Nyhem*, *Bertrandus* Decretorum Doctor, Episcopi, &c. & alii inter quos est *Gobelinus*, primo Decanus Bilefeldensis, postea monachus in Bodekem, qui scripsit *Cosmodromion*, hoc est, *Cursum mundi*.

Ex tertio libro huc referuntur *Theodoricus de Nyhem*, *Antonius Cervinus*, *Warpurgensis*, &c.

Ex quarto libro huc referetur *Henricus Viringius*, Paderbornensis, & *Joannes ac Bernhardus Copii*, qui Paderbornæ Scholis diu præfuerunt, &c.

Nunc videamus reliquos huc pertinentes viros doctos: *HELMANNUS TULICHIUS*, *Stenemensis*, fuit Oratorius Professor clarissimus in Schola *Lipensi* & *Wittenbergensi*, cui suos de captivitate *Babylonica* libros *Lutherus* inscripsit, postea venit *Lunenburgam*, ubi Scholam celebrem aperuit: Ejus epigramma in libellum *Murmelin* de componendis versibus extat, unde hoc distichon desumptum est:

Appositam queris faciendis versibus artem,

Suscipe, quam facili simplicitate damus. &c.

Extat

Extat etiam Tulichii, viri certe doctissimi, carmen in Catechismo *Luca Lossii*, cui *D. Urbanus Rhegius* præfatus est ad juventutem anno 40, atque illius carminis initium tale est:

Disce puer Christum rudibus cognoscere ab annis,  
Idque Dei ex verbo, quo sine nulla salus, &c.

Extat etiam & in fine Enchiridii parvulorum ejusdem *Lossii elegia Tulichii* erudita ad deprecandam iram DEI, quam Deus nostris temporibus extremam minatur: atque illi quoque Elegiæ & commendationem soluta oratione & epigramma præmisit *Urbanus Rhegius*: inter cætera sic ad Tulichium scribit, carmen tuum eruditum, elegans ac pius, amicissime *Hermanne*, perlibenter legi, & tale esse judico, in quo nemo eruditorum quicquam possit desiderare, &c.

Dicitur pleraque *Tulichiana* in suis habere opusculis *Lossius*. Nam fuit is homo miræ eloquentiæ & magnæ doctrinæ, qui etiam summa dexterritate docuit, cujus rei testis fuit vir eruditus *Mag. Henricus Grothenius*, Lemgovienfis Jureconsultus, atque adhuc idem testatur *Mag. Henricus Sibens Olphenius*: Præfixit multorum autorum libris interdum & carmina & Epistolas, ita vidi ab illo conscriptam ante annos 50. elegantissimam elegiam in *Marci Sabellici Selectas Epistolas*, atque in ea confert duos *Marcos*, hoc est, *Ciceronem* & *Sabellicum*: Mortuus est *Lunenburgæ*.

**OTTO BECKMANNUS**, *Warpurgensis*, fuit ab anno 4. Professor in Schola *Wittenbergensi* usque ad annum 22. quo discessit *Wittenberga* propter *Lutheri* doctrinam, (quæ in initio ipsi placuit, sed postea ab ea alienior est factus) veniens in patriam, factus est ibi Pastor, donec illum eligerent *Nonnæ* ad *D. Ægidium* in urbe *Monasteriensis*, in Præpositum, &c. Hic scripsit epigramma eruditum anno 1509. barbaro adhuc seculo, ad *Andree Crappii Wittenbergii* de vitandis peccatis carmina, &c. atque ita inter cætera canit *Beckmannus*:

Præmia magna manent te, *Crappe* diserte, sororum

Pallentes hederæ, laurigerumque nemus.

Pegasydum cura es, tua pectora nutrit *Apollo*,

Et labra & linguam *Castalis* unda lavant, &c.

Nihil præterea ab illo editum vidi, cum alioqui vir esset valde doctus. Dedicavit ei *Philippus Melanchthon* orationem, quam habuit anno 18. *Wittenbergæ* de corrigendis studiis, ubi in dedicatoria epistola appellat illum doctissimum Jureconsultum. Fit quoque illius ab



eodem *Philippo* honorifica mentio in tomo 2. scriptorum publicè in Academia propositorum, ubi dicit, quod *Lutherus* & vir ingeniosissimus *Otto Beckman* Jure consultus, convenerint in ædibus honesti civis *Thoma Fuerlius*, &c. Hæc enim de illo mortuo dicuntur à *Philippo* an. 1554.

De ANTONIO CORVINO, Warpurgensi, qui hujus quoque conditionis alumnus fuit, diximus in lib. 3. de quo sic canit *Glandorpianus* in epigrammate : Nobilis eloquio, nobiliorque fide.

HENRICUS Röninck/Paderbornensis, in ordine observantiorum Monachus, scripsitque magnas concordantias in Biblia, sed postea rejecto ordine factus est Evangelii minister in Comitatu Phrisico, qui Comitissa Jeverensi paret, à qua confectus senio dimittitur & venit Osnaburgam, ubi mortuus est ante paucos annos.

GERHARDUS ROTIKENIUS, natus ex *Werla* urbe Westphaliæ Comitatus Arnsburgici, olim Rector nunc Concionator Paderbornensis est, collegitque sententias aliquot ex optimis autoribus editas in usum suæ Scholæ : Scripsit etiam *librum* justæ magnitudinis (ubi præfatio numero excedit libellum) de *Ceremoniis*, intelligit Papisticis &c. cui opposuit contrarium scriptum *Hermannus Hamelmannus*. Dicitur *Rotikenius* parturire vel Licentiatum vel Doctorem, ut est gloriatus.

FREDERICUS WESTPHALUS, Paderbornensis, scripsit epigramma vel elegiam potius in *librum Rotikenii* de *ceremoniis*, cuius partem invertit *Hamelmannus* : Idem *Fredericus* aliquando elenchum suæ Scholæ evulgavit, cui epigramma subjecit *Johannes Kerckmannus*, tunc ipsius Conrector.

JOANNES CRATO, Paderbornensis, musicum libellum evulgavit atque inscripsit *Henrico Coloniaco*, Cancellario Paderbornensi quem ibi amplissime celebrat ut patronum musarum, quemadmodum etiam *Rotikenius* facit in medio libri sui de *Ceremoniis*.

Nihil mihi amplius constat de virorum scriptis illustrium istius diebus celebritate : si qui adhuc alii essent nobis ignoti, istos peto mihi bonis viris indicari per literas, ut suo in loco non prætereantur : nunc vero pergo præclaros doctrina viros inde recensere, qui etsi scriptis non claruerunt, tamen doctrina celebres fuere.

LUDOLPHUS DRINGENBERGIUS, Rector olim Scholæ in patria *Jacobi Wimphelingii*, celebratur ab *Erasmo* libro 23. Epistolarum Epistola ad *Johannem Vlattenum* : an is aliquid ediderit, plane ignoro.

Dominus N. MANEGOLTUS, Paderbornensis, (cui nomen fuisse pu-

putant nonnulli, Liborio) fuit ante annos 50. vel 60. Præpositus Summi templi, Doctor J. U. Erphurdia promotus & plebei generis homo, vir suo tempore magnus, qui Summo templo & Senatui aliquot beneficia præstitit, dona illis conferendo, quæ adhuc ibi extant: Sic referunt quoque nonnulli ante annos centum fuisse Doctores ibidem ex familia plebeia de *Zmsen* qui variis libris ornaverunt Bibliothecam majoris Ecclesiæ, &c. Quid hic sit veri nescio, quæ ego recito, ex aliorum relatu habeo.

FREDERICUS WESTIUS, Paderbornensis, LL. Licentiatus doctissimus, primo Sigillifer major Archiepiscopi pii Coloniensis Hermannii fuit, postea factus est Monasteriensis Episcopi Cancellarius, deinde Phrisiæ orientalis Comitis Cancellarius, ubi adhuc vivit, vir disertus & consultissimus, cui aliquam comœdiam inscripsit *Guilielmus Gnaphaus*, & ipsum doctrina, virtute & eloquio & consilio celebrem prædicat, ut est prædicandus, cui ego quoque & ipsius collegæ Consiliario ejusdem Comitis, & Emedensis urbis Consuli D. *Petro Medmanno* viro doctissimo plurimum debeo, &c.

CONRADUS MOLLERUS, LL. Licentiatus prudens est, ibique Officialis & Ecclesiæ Storpianæ decanus.

HIERONYMUS Brinckmann/LL. Licentiatus ditissimus & Vicarius Summi templi fuit.

GEORGIUS SWALLENBERGIUS, Brakelensis, Professor Juris ingeniosissimus est Marpurgi, hoc enim illi nomen esse credo.

FRANCISCUS LUCKIUS, Paderbornensis, primo Mindæ apud D. Hudæum, postea Hervordia apud Glandorpium & Lenicerum Conrectorem agit, vir doctus prædicatur.

HENRICUS BOVIUS, Paderbornensis, Scholæ Embecensi diu præfuit, nunc autem est *minister Evangelii* in hujus Comitatus *Pago Brack*/vir pietate & literis excultus.

Rexit ante annos quinquaginta Scholam ibidem CONRADUS STEILINGIUS, vir suo illo tempore non indoctus, qui ibidem postea factus est civis & nuper in extremo senio dicitur mortuus esse.

CONRADUS quoque ECKENDORPIUS ante annos quadraginta: JOANNES & BERNHARDUS COPII ante annos 12. Scholæ quoque non sine laude curam habuerunt ibidem.

BRUNO FABRITIUS, Cellarius & Pastor in Monasterio *Abdinck* have/ inter istius ditionis eximios viros potest locum habere.

## PARS TERTIA,

Libri Quinti.

Quæ continet Ditionis & URBIS MINDENSIS viros aliquot, qui ad Westphalam referuntur.

**E**X libro primo virorum doctrina & scriptis illustrium huc ad Mindenses refertur *Bartholomæus Colonienſis*, qui animam egit Mindensium. Ex libro autem secundo huc referri debent *Herimbertus, Haduarius, Vulfarius, Adelbertus, Bernardus, Landwardus, Milo, Bruno, Willelmus, Dithmarus, Joannes, Otto, Ludolphus, Ludovicus, Theodoricus, Cagelwiler, Otto Wettem, Marquardus & Henricus Episcopi Mindenses*: In libro autem tertio numerantur, qui ad Mindenses pertinent, *Joannes de Mindæ & Mindensis* quidam Episcopus, *Joannes Buschmannus, Lubbecensis, & Henricus Primaus*, qui Mindæ Conrector fuit *M. Rodolphi Molleris*, & reliquos jam ordine quotquot habemus, recensebimus.

**HERMANNUS** de *Serbeſe* domus *S. Pauli* in urbe Mindensi fratris prædicatorii ordinis, scripsit *Chronicon Comitum Schowenburgenſium* et *Bernhardum Hamburgensem Præpositum & Ottonem fratrem ejus Comites de Holstein & Schowenberg* &c. Hoc Chronicon & alia quædam restitui, describi & augeri curavit *Lambertus de Devesſen* / Præpositus ad *S. Joannem Osnaburgensis*, & quondam Mindensium Officialis.

**RODOLPHUS MOLLERUS**, ex ditione Mindensi ab hac parte *Viſurgis*, (quia qui ultra *Viſurgim* ortum habent in ista ditione, non numerantur hic, utpote huc non pertinentes) oriundus, *Osnaburgæ, Hervordia, Mindæ & Embocæ* Scholas celebriter gubernavit: Ab anno autem trigesimo quarto usque ad quadragesimum *Hannoveræ* docuit Evangelium, ubi illum dedicatione Explicationis *Abdicæ Prophetæ* ornavit *Doctor Urbanus Rhegius*, ubi etiam Epitaphium scripsit, quod publice extat, Autori *Sandro*, Syndico *Hannoverensis*. *Hannoveræ* ipsum translatum voluit *Principissa Ducis Erici* mater, pia matrona, *Hamelungum*, ubi ipsum donavit Decanatu, & constituit in eâ urbe Superintendentem: Huic inscripsit *Jacobus Montanus* Centuriam epistoliarum formularum, & afferit ipsum eruditione non vulgari pollere, vocatque eum *Batrochomylam*, atque ejusdem *Jacobi Montani* scriptis nonnullis epigrammata commendatoria adjecit, ac ante biennium eidem inscripsit *M. Georgius Vogelmannus* Elegiam quandam

exulam Wittenbergæ, &c. Revocatus est nuper ad Decanatum collegii Hamellensis, quem credo ipsum non aliter possidere, atque Princeps Anholdius Georgius & D. Brentius Præposituras obtinuerunt: Scripsit extemporale epigramma in nostros libros hos de Westphalia viris doctis, &c.

CONRADUS MINDENSIS *Dura*, in Juliacensi terra, Ludimoderator, edidit elegiam ante annos 40. de severa scelerum ultione, quæ & pia & docta est.

M. BADO, Mindensis, quondam discipulus Erasmi Roterodami, vir magno ingenio præditus, descripsit Pontificiorum sacrificulorum nequitiam in libro dicto, *Claves Buet*, qui primo editus est 1523.

HERMANNUS HUDDÆUS, Mindensis, in ipsa urbe Mindensi rexit per multos annos Scholam, & est vir disertus ac doctus, de quo sic scribit *Joannes Bocerus*, Laureatus & clarissimus nostri seculi Poëta (ex ditione Mindensi, verum trans ripas Visurgis versus Saxoniam ortus) ad Senatam Mindensem in præfatione Declarationis de origine antiquitate & celebritate urbis Mindæ, Excellentium in vestra Rep. doctrina, virtute ac sapientia virorum studio & autoritate, juventuti in vestra urbe præfectus est, clariss. vir & ad hanc rem natura expolitus M. *Hermannus Huddæus*, qui postremo vir bonus est & talis, qualem juxta Fabii sententiam decet esse Ludimoderatorem: Lucet in illo pietas eximia & doctrina admiranda, ingenii comitate & morum facilitate aucta & conspicua, & quod nequam hac in re extremum est, in docendo dexteritas & peculiaris quædam felicitas: nam male monstrante magistro, discipulum probe edoceri, difficile & impossibile est, &c. Sed pergit prolixè explicare ibidem, quam sit idoneus Ludimagister Huddæus in quo omnia illa, quæ ad fidelissimum Ludimagistrum pertinent, ait esse illuminata & perfectæ.

Idem *Bocerus* in orationis carmine contextæ de legum dignitate ac fructu præfatione ad ampliss. Dominum *Antonium Minschium*, Præpositum Martinianum & Decanum Joanniticum in urbe Mindensi, &c. (quem ibi ut munificum erga studiosos & doctos, & liberalem erga egenos Scholasticos, atque promptum in juvandis pauperibus & subsidio præstando ad elocandas inopes & indotatas puellas amplissime prædicat *Bocerus*) scripta, rursus honestissime meminit Mag. Huddæi: Scripsit quoque ad eundem *Huddæum* quam sæpissime *Philippus Meianethon*, eumque sæpe doctissimum virum appellavit. Hic scripsit &

evulgavit, carmen Elegiacum in Exceptionem Georgii Brunsviciaci Ducis tunc electi Episcopi Mindensis. Idem quoque edidit carmen Wittenbergæ excusum de fonte Pyrmuntano ad Albertum Comitem de Hoya: Hic quoque præcipue se opposuit Thammero, & quotquot osteriones contra illum Thammerum Wittenbergæ evulgabantur, ab uno Huddæo proficiscebantur: Si quid præterea scripsit, ignoro. Adhuc superest Mindæ in Rectoratu, & audio multos consilio ipsius & industria ut in rebus difficilimis & arduis, ut est sagax & industrius. Habet hic splendidam Bibliothecam, refertam omni genere optimorum librorum: Et quod ille habet in sua Bibliotheca in finibus Westphaliæ, id habet in media Westphalia doctissimus & nobilis vir Dominus Georgius Scellius, Quæstor in Hörde / cujus instructissima prædicatur à multis Bibliotheca.

BERNHARDUS LUDDERUS, Mindanus, ibidem Concionator Evangelii, post Hoxariæ Ecclesiastes factus est, ubi adhuc superest: Hic descripsit carmine Mindensem urbem, quod extat: item de miseria prædicatorum nostritemporis ad Joannem Comitem de Hoya / qui nunc est Episcopus Osnaburgensis, &c. postremo edidit hoc anno 64. epistola D. Joannis primæ paraphrasin carmine concinnatam, inquam & Hamelmannus & Sibæus Olphenius epigramma scripserunt: Idem Luderus scripsit epigramma in carmen Huddæi de fonte Pyrmuntano, & ante annos 11. elegiam in librum Hamelmanni de Missa satis doctam, quæ extat cum libro.

Scripsit Mindæ aliquando *Prognostica & Almenachia* NICOLAUS MORMANNUS.

HENRICUS PILÆUS, Mindensis, respondit quodam scripto erudito, Rectori Embricensi *Matthia Bredenbachio*, & apparet illum Pilæum virum esse doctum.

NICOLAUS DOPPIUS, Apothecarius Mindæ, *Hendesyllaba* adjecit elegiæ Mag. Huddæi, quam scripsit in exceptionem Georgii Episcopi: idem dicitur doctum carmen scripsisse de bonitate Dei: atque ingenium exercere vario genere carminum, quod ludit in Evangelia Dominicalia & Epistolas, &c.

JOANNES MONTANUS, Brunsvicensis, olim fuit Conrector Huddæi in Scholis, post Concionator D. Virginis: Hic scripsit *Terrasticon* elegans & eruditum in Huddæi scriptum de fonte Pyrmuntano.

RUDOLPHUS VOGELERUS, Mindensis, Doctor J. U. doctum *carmen de exundatione Visurgis* anno 52. ex improvisa exorta 10. Januarii in summa populi calamitate composuit, sed tamen illud non est excusum, quod ego sciam.

Doctor Theologus JOANNES DREYERUS, Lemgovienſis, qui edidit ordinationem *Ecclesia Hervordienſis*, mortuus est Mindæ in ministerio.

Fuit ibi quoque *Superintendens* Mag. GERHARDUS OEMEKINGIUS, Camensis, quem publicis scriptis *Doct. Urbanus Rhegius*, & *Doct. David Chytraus* commendarunt. Non sunt mihi ex Mindensibus plures noti, qui scriptis suum nomen posteritati consecrarent; Si alii adhuc essent, quos ego hic ignoranter præterirem, hoc ab omnibus bonis indicari peto ut in posterioribus libris suum locum habeant. Nunc etiam aliqui ex viris quibusdam doctis, ejusdem ditionis & urbis, non sunt omittendi vel negligendi.

BORCHARDUM BUSCHIUM, fratrem HERMANNI BUSCHII, Decanum Cathedralis Ecclesiæ Mindensis, fuisse studiosum & doctum apparet ex epigrammatis, quæ ipsius frater Hermannus Buschius ad eum scripsit, ubi inter alia sic ait:

Quod vigili studeas obscura volumina, cura  
Frater & à magnis edita jura viris

Laudo &c.

ARNOLDUM de *Boickholt* / Præpositum majoris Ecclesiæ Mindensis, in tomo 2. *Postillæ Jacobi Scæpperi* præfatione tanquam virum græcæ ac latinæ linguæ non vulgariter eruditum commendat *Joannes Lambachius Scavastes*, LL. Doctor.

JOANNES MARSMANNUS, Abbas ad S. Mauritium & Simeonem Mindæ, non est indoctus.

*Canonicus* quidam majoris Ecclesiæ N. BILLERBECK propter doctrinam à quibusdam olim celebratus est.

JOANNES quidam MONTANUS, ex ditione Mindensi prope *Quermham* natus, fuit ante *Tulichium* Rector Scholæ Luneburgensis anno 27. qui postea *Rostochium* profectus est & ibi finivit vitam: fuit autem vir doctissimus.

PETRUS Wigge / Consul Mindensis, vir doctus & multæ dicitur esse lectionis.

HEN.

HENRICUS PISTORIUS, Mindensis, vir olim in Scholis exerci-  
tatus, nunc autem Medicinæ omnem operam impendens, ibidem  
claret.

HENRICUS DEUTHINGIUS, olim Scholæ Mindensis Conre-  
ctor, Hebrææ linguæ doctus & in historiis versatus, nunc Concionator  
ibidem Evangelii est.

JOANNES PETREUS, Brunnipolitanus, diu ibi quoque *Conre-  
ctorem* egit apud Huddæum, *nunc factus est Jure consultus & orator*,  
quem dicunt esse *Consiliarium Comitis Oldenburgici*.

NICOLAUS HAGIUS, LL. Licentiatus, Mindæ Officialis fuit &  
ibidem mortuus est.

JOANNES WENTROPIUS, Mindensis, est Jure consultus &  
Judex Mindensis.

JOANNES POLLIUS (de quo libro 3. dictum est) sub *Bartholo-  
mæo* Colonienfi Mindæ Conrectorem egit (de quo libro 4. diximus)  
ibidem Rectorem.

Si qui ibi vel adhuc sint vel fuerint olim viri doctrina clari, quos  
præterissem, illos mihi indicare peto, ut suum locum alibi habeant.



LIBER SEXTUS

VIRORUM WEST-  
PHALÆ DOCTRINA &  
SCRIPTIS ILLUSTRIMUM,

Qui continet claros & celebres ali-  
quot viros COMITATUS splendidi & antiqui,  
qui est Inclytorum Comitum de LIPPIA, &c.

*Adjunctis his,*

Quos URBS HUXARIENSIS protulit viros scientia  
claros & doctos,

Autore

HERMANNO HAMELMANNO,  
Licentiate Theologo.

---

LEMGOVIÆ, Anno MD LXV.





*Integerrimis, egregiis & humanissimis Viris,*  
Magistro JOANNI GROTHEN, Jurisperito

*Ejusque patrueli*  
FRANCISCO GROTHEN, Quæstori ætarii  
& Senatori,

*Nec non utriusque cognato*  
ERNESTO DERENDAL, Patricius in Lemgo  
vieni urbe, &c.

*Suis Dominis amicis & fautoribus colendis,*  
HERMANNUS HAMELMANNUS,  
Licentiatu Theologiæ.

S. D.

**Q**ui apud Græcos & Romanos patria bonam operam præstiterunt, sæpe saepe literis, laudibus & encomiis celebrati: ita non præterierunt historiæ, quod se Decii telis hostium fortiter objicerent, & quod Curtius equo impetens Roma in hiatus terra patentem volens in gratiam patriæ præcepit deponere: Imo aliquando civēs urbium diversarum de uno saepe homine claro virtutibus & doctrina contenderunt. Veronenses Plinium secundum suum esse civem contendunt, Novocomenses contra suum. Aretini de Francisco Petrarca cum Florentinis rixantur, &c. Cum autem ego quoque decreverim ad istum modum de quibusdam viris doctis & eximiis hujus Comitatus aliam totius Comitatus alii reservabo tractatum) & præsertim urbis nostræ Lemgo-phalia viros referre & in certos libros congerere, ut constaret posteris, quos qualesve viros doctos, virtute & candore præstantes qualibet in Westphalia ditæ & urbs protulisset, ut sic juniores invitarentur majorum exemplis ad imitationem: imo de gentiliū sententia istud censeatur utile, sanctum & pium, majorum rationem habere, & istos posteritati committere: volui prius antequam ad dictos referendos accederem aliquid hic de celebribus Consulibus & hujus urbis capitibus referre.

*Fuit semper eximiis & prudentibus viris, qui ad gubernacula sederunt,*  
hac

hac civitas Lemgovienſis (de cujus celebritate antiquitateque alibi forſan commodius agemus) præ aliis multis ornata divinitus. Nam ex quibusdam etiam familiis plerumque egregii filii & nepotes patribus & avis ordine in eadem ſæpe dignitate Conſulatus ſucceſſere, quod apud alios auditur rarum eſt, quoniam Heroum filii noxa, ut dicitur in proverbio, & filii ſolent imprimis degenerare à parentum virtute. Hoc interim falſum eſſe in plerisque noſtratibus experientia tradit, quod ut à me comprobetur, res ipſa poſtulat, præſertim apud vos, ad quorum familiam etiam inde à majoribus tales noſtra urbis proceres & alumni pertinere videntur, de his latius agere. COTHEMANNIA familia dedit urbi noſtra Conſules graves & prudentes, HERMANNUM ejusque filium JOANNEM, & ex iſto alterum JOANNEM Hermanni nepotem, qui genuit, LUDOLPHUM Cathemannum, qui etiam ultra an. 40. Conſulatum adminiſtravit laudabiliter, & in celebranda canicie vir præſtans ante biennium mortuus eſt hic non ſine jactura Reip. Quid dicam de FLORIKENIORUM familia? Diſcimus ab aliis Florinum Florenkenium (dictum cognomine ſcribam, cui Conradus Floriken, civis Lippienſis urbis pater erat) primum ex iſta ſtirpe Conſulem noſtra urbis fuiſſe, cui ſtatim ſucceſſit in eadem dignitate Engelbertus filius, qui genuit ruruſum Florinum Florikenium ad idem officium electum, qui deinde filium reliquit Conradum noſtro tempore ante ſeptennium mortuum, Conſulem magni judicii & lectionis multa, ex quo natus eſt Florinus Florikenius hodie ſuperſtes, Conſul & ſenex laudandus, prudentia ac conſilio inſignis, cujus frater Magiſter Johannes, Juris candidatus fuerat.

Tertio loco refero illorum qui à Wippera flumine Ducatus Bergenſis in Weſtphalia nomen habent, ordinariam quaſi ſucceſſionem. Iſtud ſtemma WIPPERMANNORUM habuit primo antiqua virtutis Conſulem Joannem, cujus in locum vocatus eſt Hermannus à Wipper filius, vir non parva autoritatis (cujus frater Mag. Conradus, Juris candidatus, erat autoritate magna Officialis Paderbornenſis) quo deinde in Conſulatu mortuo mox eligitur Erneſtus à Wipper/ Hermanni filius, hodiernus Conſul primarius, qui jam per annos 33. ad gubernacula ſedit, multa que utiliter magno cum labore & moleſtia in ſumma quoque rerum perplexitate, pro ſuo pio officio, ut eſt candidus & eximius, in gratiam noſtra Reip. Lemgovienſis fecit: nunquam etiam is venerandus ſenex cum ſuo collega JOANNE COCCIO, Conſule ornatiffimo, literarum, ſcientia ac vere pietatis amantiſſimus eſt, cujus etiam frater Chriſtianus à Wipper/ fuit Conſul Widenbrugenſis. Familia de Berndinck dedit nobis primo Arnoldum Conſulem, deinde ejus Nepotem ex filio Conrado Johannem

nem Evangelio additum. Verum jam fere WREDENORUM genus præ-  
 viissem, cum istud non novum in hac urbe fuerit. Ex eanamque olim proditi  
 Hermannus Wredenens, pater, & Henricus filius Consules in hac civitate  
 celebres. An quoque CRUSIANA STIRPS prætereunda? qua nobis Lu-  
 dolphum & Joannem (quorum alter olim hostem Comitatus nostri atrocissi-  
 mum, Theodoricum de Mörfa, Colonensem Electorem, devastaturum in-  
 cendio urbem hanc placavit) capita hujus Reip. aliquando præstantia protulit.

Quid referam de vestra familia de Grothen? nonne illa vestros pro-  
 genuit, conspicuos nostra urbi Consules Theodorum integerrimum & Alex-  
 andrum laboriosum & munificum hominem? Illi duo fratres uno etiam  
 tempore, quod auditu rarum est, in utroque Senatu Consulatum admini-  
 strarunt. Addamus & alios Consules, qui ad nostram notitiam pervenire,  
 & vobis ex æquo omnibus vel duobus, aut saltem uni vestrum, cognati affines  
 fuere, ut priores.

ARNOLDUS Hunger / Henrici Grothen / vestri patruelis, avus magnus  
 CHRISTIANUS KLEINSORGII, ejusque gener LUDOLPHUS Deppe  
 dictus Jggenhusen / HENRICUS Düvel / JOANNES Denne / Consules  
 nostra urbis omnes fuere, viri me Hercule prudentes, optimi & graves. Non  
 ut ad vivos descendam. An præteriri potest sapiens & valde doctus Cons.  
 D. JOANNES LEISTIUS, qui eadem dignitate etiam hic aliquando fun-  
 ctus est & nunc Hamelungæ vivit? Quid de reliquis jam Consulatum ad-  
 ministrantibus, (quanquam de duobus, ut D. Ernesto à Wipper / & D. Flo-  
 rino Florikenio, veneranda canicie senibus, animo meo charissimis & nostris  
 Mecænatibus summis sit dictum) viris profecto pietate, integritate, sapientia,  
 consilio & humanitate conspicuis, & optimis meis patronis & Dominis obser-  
 vanter colendis, atque Evangelii fautoribus, Doct. HENRICO ERPIO,  
 D. JOANNE COCCIO, D. JOANNE DERFENDALIO, scribam.  
 Omnes inquam istos & alios Consules adhuc superstites nomino honoris causâ,  
 & istorum majores in gratiam patriæ obiter recenseo. Ut autem latius progrediar  
 ad vestram genus de Grothen / viri optimi & integerrimi, multos illud ipse  
 dedit Jureconsultos: vester patruus Mag. Henricus Grothen / Officiarius  
 Paderbornensis, fuit Juris candidatus & multa lectionis homo: Et tu quoque  
 eximie Mag. Joannes habes aliquam promotionem & gradum in eadem fa-  
 cultate: deinde tuus piissime & perite Francisce frater, qui tuus optime, Er-  
 neste avunculus erat, M. Henricus Grothen junior non solum Juris consultus  
 fuit, sed varia eruditione multaque multorum autorum lectione excultus &  
 vere pius, amicus meus integerrimus: vestri cognati, qui tibi M. Joannes ex  
 fra.

fratre Theodoro Groten/ Nepotes sunt, Alexander & imprimis Joannes, sua eruditione & studio specimen præbent, quod in magnos celebresque Jurisperitos evasuri aliquando sint, si vita Comes sit, idem de Alexandro Groten/ Henrici patruelis, vestri viri integerrimi filio, referri poterit: Habetis etiam propinquos Jureconsultos Kleinsorgios Licent. qui à nobis merito in hoc libro claris & doctis viris annumerantur: neque tamen alii amici & patroni mei colendi prætereundi sunt, qui Juris prudentia operam dant, & vobis sanguine affinitate junguntur, inter quos vir experientia, eloquio, scientia & consilio excellit HENRICUS FLORIKENIUS, arcis Sternebergica quondam Præfectus, & deinde THEODORUS CATHEMANNUS junior, modestia, diligentia & juris studio scientiaque ornatus. Non præteribo hic reliquos nostros fautores, M. JOANNEM TILENIUM, gravitate, integritate & literis præstantem, quondam sagaciter juventutem in hac urbe gubernantem, nunc vero utiliter præfectum ararii & Senatorem agentem, tum quoque celebrem decentique pietate non minus quam literarum peritia excultum THEODORUM CATHEMANNUM, seniore & Oinarcham hujus urbis, denique HERMANNUM CRUELIUM, Quæstorem ararii & Senatorem egregium & exquisitum, (cujus frater Christianus, dum viveret Juri operam dabat, ut etiam hodie tertius frater Conradus facit) omnes inquam istos viros splendidos & meos patronos colendos, quos recensui, & nunc superstites vobis vel affinitate vel sanguine junctos scio, præterire hic neutiquam potui, sed amicitia & honoris causa exprimere volui. Hac placuit ita ad V. Humanitatem, patroni colendi & integerrimi viri, præfari in librum sextum virorum doctrina illustrium hujus amplissimi Comitatus: quia te, Eximie M. Joannes, patronum humanissimum omnes studiosi jam per multos annos coluerunt, atque de tua liberalitatis encomio etiam olim publice testatus est M. Gerhardus Coccius, venerandus Hornensium Pastor, cujus carmina aliquot tibi dedicata extant: deinde tecum contigit mihi dulcis familiaritas, quam non solum cum T. H. habeo coloque, sed etiam cum tuis fratribus Ludolpho, celebri egregioque apud Inchtam Osnaburgam præfide plebis tribunoque summo, & Theodoro, viri patricio & primario, variisque donis ac bonis à Deo cumularim dotato, & c. meis inquam patronis colendis hætenus dulcem alui. Hanc & tecum & cum prædictis fratribus confirmare hoc scripto volui.

Tuis autem, Franciscæ integerrime, typis priores virorum Westphalia doctrina illustrium libros evulgavi, & ex tua Officina, quamvis meis sumptibus, prodiere mea aliquot scripta, atque hunc sextum & mox septimum aliosque sequentes virorum clarorum libros ex eadem protrudere in lucem volui.

Decebat igitur aliquam grati animi significationem tuæ pietati exhibere. Addo etiam quod tecum & cum tuo fratre M. Henrico dum viveret, & affine Doct. THEODORO CATHEMANNO seniori & tuo Nepote Ernesto Derendalio, ut meis integerrimis & colendis amicis, dulcissima semper fuerit consuetudo, quam adhuc inter nos constare & integram esse, hac dedicatione testari volui, meque vos colere ut meos amicos, tum quoque ut tibi gratularer de nova Quæstoratus ararii dignitate & Senatorio gradu, denique ut utriusque & tuam Ernestique imotrium simul candorem, humanitatem & pietatem cum literis & rerum usu conjunctam commendarem. Quia autem nostratium conjungunt vicinos, HUXARIENSIS urbis utrosque claros, decuit imprimis talis dedicatione, ERNESTE moribus & literis excolere, quoniam tuus Pater vir providus & præstans Tilemannus Derendalus, quondam nostræ urbis, dum viveret, Præfectus ararii, tuusque patruus Consul exquisitus & egregius, Joannes Derendalius meus fautor, atque tua dulcissima amita conjux gravissimæ Senis Ernesti à Wipper/ Consulis prudentissimi, honestissimam originem duxere ex ista urbe Huxariensi celebri.

Habetis optimi viri rationes dedicationis nostræ: oro autem V. Præstantiam & Humanitatem, ut pro sua pietate, & benevolentia omnia boni consulant, & me ament promoveantque. Postridii trium Regum,  
Anni hujus novi 1565.

Salutat vos reverenter, te autem imprimis, Franciscæ & Ernestæ, vester amicus, meus affinis, vir vere pius & venerandus Henricus Velstenius, Pastor in Bosinckvelde, qui apud me erat, cum hæc scriberem. Iterum Valet!

## LIBER SEXTUS

*Virorum doctrina & literis illustrium,*

Qui continet viros DOCTOS, quos COMITATUS  
LIPPLÆ nobis protulit, adjunctis viris doctrina illu-  
stribus URBIS HUXARIENSIS.

**M**AURITIUS de Speigelberg & Pyrmont COMES, Præpositus  
Embricensis, vir suo tempore ante annos 86. clarissimus & do-  
cissimus erat, deinde Poëta quoque bonus & celebris, quod  
istis temporibus rarum fuit, qui inter eos potest censeri, qui cupiebant  
restitutam linguæ latinæ puritatem & explosam barbariem. Huic  
scripsit Epicedion Rodolphus Agricola, qui inter alia sic de illo ludit:

Ille pius vates & toto pectore vester, [o Musæ]

Mauritius cultor vester alumnus obit,

Atque tot annorum studio curâque paratus,

Ingenii torrens aureus ille perit.

*Et mox*

Spirat & ingenii laus sudatique labores,

Vis istud doceam me ratione loqui!

En age, sume manu, quod condidit, & lege carmen

Voce sua loqueris, plus valet illa tua.

Hujus & ingenio simul hujus es ore difertus,

Vivit, nempe dabit hic, quod potes, illa loqui.

Docta nec immerito vigilataque carmina sperent,

Perpetuum nullo fine premente decus.

*Et mox*

Qui claras annis hausit juvenilibus artes,

Musarum cupido pectore sacra colens,

Quicquid & est studiis, quod Musas auget & ornat,

Moribus & mentem quod redimire queat.

Præsentes quod ament, quod postera secla loquentur,

Sic animi manuum siue erat illud opus,

Complexus vigili meditatusque omnia cura est,

Sterneret ut laudi nobile promptus iter:

Non hunc divitiæ generis, non inclytus ordo,

Lubrica non vitæ tempora prima movent.

Otia pigra sequi seigniæ fatiscere luxu,

Victæque deliciis turpibus ora dare;

*Sed*

Sed petit intenta cura meliora colitque  
 Recta, licet dura sint adeunda via,  
 Ergo ubi sacra, quibus se prima dicaverat ætas,  
 Rite colens summo solverat ille DEO.  
 Inde vices studiis lucis tribuebat & umbræ,  
 Non sterilem quemquam passus abire diem.  
 Scriptaque jam veterum tractabat clara virorum,  
 Quos vetat ingeniumque eloquiumque mori.  
 Libera jam numeris, docta jam lege revincta  
 Post quoque venturis verba legenda dabat, &c.

Unde apparet illum Comitem diligentem, studiosum, doctum & præstantissimum Heroa fuisse, qui etiam aliqua ingenii sui monumenta post se reliquit, præcipue carmina aliquot docta, quæ tamen videtur mihi hæcenus non contigit. Rursus idem Rodolphus de eodem Epitaphio sic scribit inter alia:

Ecce Speigelbergi Comes ordine clausus avorum  
 Mauritius pollens moribus, ore, fide,  
 Embrica Præposito, quo læta Colonia fratre  
 Templo Petre tuo sacra colente fuit.  
 Condidit hic corpus studiis senioque solutum,  
 Laus, decus ingenii, gloria, fama manent.

Hæc volui de isto Heroe scribere (qui abunde est & erit gloria perennis istius generosæ familiæ & simul totius Comitatus) in gratiam Incltyti Comitis D. HERMANNI SIMONIS, COMITIS de LIPPIA, SPEIGELBERGO & PYRMONTANO, &c. mei Domini colendi & clementiss.

Ex libro 2. de viris pietate & doctrina illustribus huc merito WELDEKINDUS, Dux Angrorum, ejusque filius Wigbertus & nepos Walberinus referuntur cum doctissimo Ludero, Widekindi Consiliario, qui postea est Monasteriensis Episcopus factus, quia isti sæpe in Engum arce sua primaria & hac terra conversati sunt. Ex eodem huc referuntur BERNHARDUS, Dominus de Lippia, Episcopus Lealhenfis, OTTO, Lippiacus, Episcopus Trajetensis, GERHARDUS, Lippiacus, primo Osnaburgensis, deinde Bremensis Episcopus, SIMON, Lippiacus, Episcopus Paderbornensis, OTTO, Lippiacus, II. ejus nominis, Episcopus Monasteriensis, item rursus BERNHARDUS quidam & SIMON II. Lippiaci Comites & Præsules Paderbornenses, &c.

Ex libro 3. & 4. ad hunc refertur Comitatum Mag. HERMANNUS  
 KER-

**KERSENBROCHIUS**, *Gubernator Scholæ Monasteriensis clarissimus, Juris candidatus, & celebris vir doctrina & gravitate.* Ex libro 5. autem **GEORGIUS SNECAMPIUS**, Pastor Alverdissianus, **HENRICUS BOVIUS**, Ecclesiastes in Braef / Mag. **CONRADUS ECKENDORPIUS**, aliquando Pastor Lagenfis in hoc Comitatu, vir excellenter doctus & probus, item celebris Dominus **CHRISTOPHERUS GERENBERGIUS**, Lagus, Secretarius & Senator Inclytæ Reipubl. Osnaburgensis, vir doctus & magnus, &c.

### LEMGOVIA.

Hanc urbem ornarunt quoque & ornant viri docti, de quibus *in libro quarto* diximus, **M. HENRICUS SIBÆUS OLPHENIUS**, **M. BERNHARDUS COPIUS**, cum eruditis fratribus, *Engelberto & Balthasara*: **Bernhardus** hic per aliquot annos celebrem constituit Scholam & doctos discipulos ipse doctissimus fovet, diserteque magna felicitate & dexteritate autores proficitur hactenus.

Ex lib. 5. **JODOCUS HOCKERIUS**, Osnaburgensis, Pastor ad S. Joannem, vir iudicio, lectione, studio & doctrina Theologiæ celebris huc refertur.

Ex libro 7. **TEMHARDUS NAGELIUS**, Conrector Copii, vir doctus huc refertur.

**HERMANNUS DREYERUS**, Lemgovienfis, *Doctor Theologus, ter Provincialis per Thuringiam & Saxoniam, ordinis Augustini, Hervordia moritur anno 24, vir suo tempore magnus & doctus.*

**JOANNES DREYERUS**, Lemgovienfis, prioris ex fratre nepos, *Doctor Theologus, primus Evangelii sator & promotor Hervordia erat, ubi cum per multos annos pro sua facundia & eruditione eleganter & magna cum laude docuisset, Mindam proficiscitur, & vitam ibi cum morte commutavit anno 1544. Ejus scripta nulla vidi, nisi quod, approbante ipsum publica in præfatione Doct. Pomerano, ediderit ordinatorem Ecclesiasticam urbis Hervordiensis.*

Ex *Dreyerorum* familia deinceps orti sunt plures viri docti, ut Magister **JOANNES DREYERUS**, Doctoris Joannis ex fratre pronepos, qui in hoc Comitatu est pastor Donopianus: item istius magistri frater **NICOLAUS**, qui in Marchia Brandenburgica primo Scholasticam nunc Ecclesiasticam obtinet conditionem, & de *Philippo Melanchthone* doctum & eruditum comprobatum Epicedion evulgavit, item Elegiam de natali Domini ad quendam Consulem Luneburgensem: Ejusdem



Joannis Doctoris ex fratre nepos PHILIPPUS fuit Anglicæ & Gallicæ linguæ peritissimus. Fuit quoque Doctoris Joannis Dreyeri generus MARTINUS MEYBAMIUS, Osnaburgensis, aliquando *Comitiæ Scholæ Lemgovienfis*, & deinde pastor Alverdisianus.

ARNOLDUS BROICKSMEDIUS, Lemgovienfis, Decretorum Doctor, Canonicus, Presbyter in Summo templo Coloniae & ibidem Officialis, vir celebris, doctus & magnæ autoritatis, cujus fit mentio in historia de exustione *Adolphi Clarenbachii* martyris, hic in patria Lemgovia aliquando *Scholam administravit*, cujus fratres artium Magistri erant, ANDREAS & THEODORUS, qui quoque patriæ Scholæ profuerunt: ANDREAS etiam *Susani* *Scholam*, & postea Coloniae Canonicus est factus.

GERHARDUS KLEINSORGIUS, Lemgovienfis, LL. Licentiatus doctissimus, eloquio, judicio, consilio, acumine & autoritate in Westphalia nostra magnus, hætenus *Officialis Werlensis*, nunc *Capitularius Electoris Coloniensis* est, vir laboriosus, fidelis, diligens, & multæ lectionis, qui Werlæ sedes habet. Ipsius frater CHRISTIANUS KLEINSORGIUS, LL. Licentiatus eruditissimus, nunc *Officialis Werlensis*, & *Canonicus ad S. Cunebertum Colonia* est, vir experientia, utilitatis rerum & ingenio excellens: uterque frater modestus candidus & admodum est felix in re poetica, elegansque scribit carmen. Utriusque patruus HERMANNUS, Presbyter in patria, fuit artium magister.

JUSTUS GEREKINGIUS, Lemgovienfis, LL. Licentiatus, magna eruditione & candore celebris, qui *primo Rectorem egit in patria* non sine multorum admiratione, postea assumpto gradu Magisterii docuit præclare in *Schola Swollensi*, tandem in Gallias abiit cum quibusdam nobilibus, inde reversus cepit privatim Jurisprudentiam Coloniae profiteri, & ita privata illa prælectione profecit, ut omnes ipsum hætenus non sine magna admiratione docentem & profitentem audierint, & hoc modo ipsius autoritas Coloniae non parum creverit, qui ad magnum literis, lectione, memoria, gravitate, modestia & comitate præstantissimum quoque moribus sedatis & elegantibus præditus, scribit etiam exquisitum & ingeniosum carmen idem Dominus Licentiatus.

THEODORUS SNEHAGIUS, Lemgovienfis, *Secretarius* quondam pii Archiepiscopi *Electoris Hermanni Colontensis* erat, postea *Prætor* fuit in *Necklinghusen* / tandem *Telenii Bonnensis Præfectus* constituitur vir

vir usurenem, experientia, gravitate, scientia & virtute conspicuus, quem adhuc superesse credimus in eodem officio.

Mag. HERMANNUS WIPPERMANNUS, Lemgovienſis, vir doctus, nepos magni illius *Tulichii* (de quo egimus libro V.) ex ſorore, per multos annos Conrektoratum in Schola Inclytæ Imperialis urbis *Lubece* adminiſtravit non ſine laude & gloria, cujus patruelis ejuſdem nominis Mag. HERMANNUS à *Wipper* / *Canonicus* eſt *Paderbornæ*: *Frater* autem *Hermanni* Conrektoris ANTONIUS WIPPERMANNUS fuit doctus *Luneburgi* Concionator Evangelii, tertius fratrum HENRICUS eſt *Secretarius noſtrae urbis*, ſuccedens induſtrio viro JOANNI MEYERO, ante quem fuit in eodem officio vir peritus & gravis THEODORUS AMELUNGIUS, qui omnes fuere etiam *Ludi-maſtri* in hac urbe.

JODOCUS WIPPERMANNUS, *Erneſti à Wipper* / *Conſulis* optimi filius optimus, per quinquennium dedit operam linguis, literis, artibus & reliquis tribus Profeſſionibus ſummam *Wittenbergæ*, & quidem ita profecerat in omni ſcientiarum genere, ut in virum magnum, ſi ei vita comes fuiſſet, evaſiſſet. Quid autem de illius vita & morte teſtatus ſit *Rector Univerſitatis*, qui erat generoſus *Comes de Solmes* / *Joannes Georgius*, &c. & *Profeſſor Hebræus* *Magiſter Albertus Leinmeigerus*, vir clariffimus & doctiffimus, in publica intimatione & privatis ſcriptis ad patrem datis, ſummatim ſubjungam. Honeſto loco natus eſt *Juſtus Wippermannus*, cujus parentes in urbe Lemgovienſi, cum laude & dignitate vivunt, unus ex optimis & probatiſſimis noſtris Scholaſticis erat, deque ejus vita apud nos acta, moribus ac ſtudiis ea nobis ab honeſtiſſimis hominibus, quibus familiaris ac notus erat, ſignificantur, quæ & mortuo glorioſa ſunt, & ad ſuperſtites comemorabilia. Ita enim illum hic vixiſſe per annos quinque continuos accepimus, ut pietate & optimarum artium & honeſtatis vitæ ſe eſſe ſtudioſiſſimum probaret, rebus omnibus & omnes augendæ liberalis & utilis cognitionis occaſiones cupidiffime perſequeretur, & frequentaret doctrinam publicam, & occuparet animum literatis commendationis aſſiduitate pene nimia: In vita tota hoc quoque ageret, honeſta ut eſſet, & mores probi ac pudici, cum moderatione temperantiam & verecundiam non tantum ipſe præſtaret, ſed etiam in aliis, quod ab harum laudum nominibus recedebat, ferre non poſſet, &c. Et mox: Sicut autem vitam degit, ita mortem religioſa cum pietate obiit, & parentibus ſuis bene precatus

ardentibus precibus opem divinam imploravit, & vitam suam in manibus DOMINI tradidit. Et iterum: In hoc juvene fuit optima natura & ingenium præclarum, & omnis honestatis decus, &c. Hæc Rector & Magister *Albertus Leinmeyerus*, &c. Quod est celebre de isto juvene testimonium, Mortuus est Wittenbergæ in fine & egressu Anni 1564. in die Thomæ, &c.

JOANNES FALCONIUS GERLACHUS, Lemgovienfis, hodie *Physicus Medicusque in urbe Hamelenfi*, hic scripsit & edidit interbre carmen Philippo Comiti Speigelbergico & Pymontano, ultimo hæredi masculo istius stirpis & lineæ antiquæ Speigelburgicæ, additis ejusdem præclaris insignibus & armis. Scripsit quoque *Almenachia* aliquot, & adhuc superest.

CASPAR SICHARDUS, Lemgovienfis, Pastor in Ducatu Lunenburgensi fuit (ubi etiam mortuus est) Poëta bonus, cujus carmina aliquot edita ad quendam Consulem Lunenburgensem nobis aliquando exhibuit *Joannes Traphagius, Lemgovienfis*.

GEORGIUS HONDERLAGIUS, *Doctör Medicus*, vir in sua facultate versatus, doctus & exercitatus hic mortuus est, qui de *Medicina pestem fuganda*, & aliis præservativis pharmacis (ut sic loquar) scripsit opusculum ad Comitem Lippia BERNHARDUM, item aliquando *Almenachia* edidit.

Ante ipsum hic fuit aliquandiu Doctör Medicus FRANCISCUS STRATIUS, quem in dedicatione Chronici Chorintiaci celebrat *Mag. Cyriacus Spangenbergius*.

Magister ANTONIUS CORVERUS, Lemgovienfis, Pastor in *Gütterbock* vocatus erat ad *Superattendens munus* in Inclyta urbe *Hildesimensi*, sed in itinere eo iturus moritur peste, vir doctus & bonus cujus ex sorore nepos juvenis literatus & candidus SIMON HAGEMANNUS, Lemgovienfis, primo Embeccensis nunc Osnaburgensis Scholæ Corrector est, cujus etiam pater Henricus, hic Scholæ moderator fuit.

Magister LUBERTUS FLORINUS, Lemgovienfis, Rector Scholæ *Susatensis* fuit, deinde *Wesaliensis* factus, ubi adhuc jam inde à multis annis hæret, estque vir literatus, pius & bonus, qui scripsit Epitaphium viro clarissimo, nobili & doctrina ac virtute præstanti Domino *Georgio Scellio*, atque Epitaphium *Philippo Gronio*, Doctori Juris, illaque carmina extant. Nihil amplius ab eo editum vidi.

REINERUS THEITRDINGIUS, Lemgovienſis, vir doctus, agit concionatorem Evangelii in vicinia urbis Hannoveranæ, cujus ex ſore nepos, *Mofes Hummerbachius* juvenis ſtudioſus, de ſe magnam relinquit ſuis expectationem.

ALEXANDER KAPPERSMEDIUS, Lemgovienſis, *Pactor Wolmarianus* in Livonia, vir eruditus eſt, cujus avunculus, *Joannes Molkenburinus*, fuit primo egregius *Gymnaſtarcha* in patria hac ſua, deinde *Cancellarius* Schowenbergenſis eſt factus.

ROTGERUS ELLIUS, dictus *Fruendingius*, Lemgovienſis, ex paupere Scholaſtico evaſit in *Præpoſitum Helmſtedenſem* Pontificum, quemadmodum & JOANNES PROTTUS beneficiatus fuit Hamburgienſis, vir pietate conſpicuus & non indoctus, qui annuam pecuniam liberaliter conſtituit in uſum pauperum Scholaſticorum & puellarum ſuæ familiæ, &c. Ex eadem familia eſt quidam ſtudioſus ejuſdem nominis filius HERMANNI PROTTI, *Pactoris* Cappellenſis, cujus diligentiam & ſtudia multi prædicant.

GERHARDUS OEMEKINGIUS, (de quo libro ſeptimo dictum eſt) vir pius, & JOANNES GLESEKERUS, Lemgovienſis, quondam Bremæ vicarius, hic ante annos 30. in templo Nicolai, & JOANNES MONTANUS in æde Div. Joannis Concionatores docti & præcipui fuere: *Gleſekerm* etiam hic celebrem Scholam aliquando aperuerat.

In *Neopolitana Eccleſia* fuere *pastores* GERHARDUS COTIUS, Alenſis, THOMAS PLATEANUS, *Weſalienſis*, MATTHIAS JASON, *Gotingenſis*, omnes magiſtri artium docti, quibus ſueceſſi ego HERMANNUS HAMELMANNUS, *Licentiatuſ* Theologiæ indignus, modo miniſtrans huic Eccleſiæ noſtræ nunc in annum decimum. Hæret in veteris oppidi *paſtoratu* jam per annos triginta quinque MAURITIUS PIDERITIUS, vir ferme ſeptuagenarius, ſed adhuc magnæ memoriæ, & judiciî integritatiſque ſummæ, in ſummo etiam ſenio bene docens, qui olim quoque Ludo literario hic præfuit. Verum de concionatoribus alibi commodius.

In *Schola Lemgovienſi* fuere clari *gubernatores* juventutis, MATTHÆUS ODENBACHIUS, *Bergeniſis*, & JOANNES GRAFFELMANNUS, viri docti, hic mortui: MATTHÆI *Corrector*, erat vir induſtrius NEVELINUS MOLLENBECKIUS, qui poſtea urbis *Senator* fiebat & *Penſionarius*, is adhuc ſupereſt, & in uſum rei literariæ extruxit moſam chartaceam. JOANNES TILINIUS non ſine laude hic *Scholæ*

præfuit per multos annos : deinde HENRICUS SIBÆUS OLPHE-  
NIUS, GEORGIUS SNECAMPIUS, STATIUS Hannoveranus, viri  
literis & studiis conspicui, hic quoque juventutem gubernarunt.

Nunc *Quartam classem* administrat JOANNES NIEWOLDIUS,  
Lemgovienſis, juris ſtudioſus & eruditus artium magiſter, deinde  
JOANNES NORDERMANNUS, cantor, HENRICUS NIEWOL-  
DIUS, ANTONIUS CURIUS, BERNHARDUS BRINCKMANN-  
NUS, fideles & ſtudioſi collaboratores Scholæ Lemgovienſis ad  
Dominum *Copium* conſpiciuntur.

JACOBUS CATO, Lemgovienſis, primo *Corrector Hannoveranus*,  
nunc Paſtor pagi *Sileſſem* in hoc Comitatu eſt, vir doctus, ſedatus &  
pius, qui inſtituit jam novitios magna fide in reformato Monafterio  
*Möſſenbecke* / cui præeſt venerandus & doctus pater *Hermannus Wöſ-  
gius*, &c.

TELLEMANNUS CROSIUS, fuit doctus civis Lemgovienſis  
iſque ex præcipuis unus, hic mortuus.

Fuerunt in *noſtra Schola* clari Ludimagiſtri & RECTORES, ante an-  
nos 80. JOANNES & LUDOLPHUS *Hoddeſen* / cives Lemgovienſes  
& magiſtri artium, iſto tempore docti ac graves, poſt quos gubernatio-  
nem ſuſcepit magiſter artium celebris & eruditus piusque ENGEL-  
BERTUS *Prein* / qui etiam *urbis Secretarius* fuerat, cujus quoque filius  
HERMANNUS *Prein* / erat artium Magiſter pius, qui etiam ſimiliter  
dicitur apud nos Ludi moderator fuiſſe.

JOANNES HOLSCHERUS, & JOANNES *Denne* / hic quoque  
Scholæ (quam bene ignoro) præfuerunt, quorum prior in *Bege* / alter  
in *Silexen* Paſtor factus eſt.

CONRADUS *Hollenſtede* / Hamelenſis Concionator, hic etiam  
juventutem inſtituit.

FELIX GALLUS, Organiſta in urbe Lemgovienſi, eſt Muſicus  
peritiſſimus, & in iſta arte ita verſatus & exercitatus, ut vix Muſicum  
huic parem in *Westphalia* reperias. JOANNES GRAFFELMAN-  
NUS, junior eſt quoque Jurisperitus, &c.

#### DETMOLDIA.

Magiſter JOANNES EXTERUS, Detmoldienſis, vir pius & ſeda-  
tus, atque multæ ſcientiæ, variæ lectionis, magni judicii, & excellentis  
literaturæ, Paſtor ibidem vigilans eſt hodie, qui multa utiliter in uſum  
Eccleſiæ præſtabit & præſtare poterit pro ſuo dono.

JOANNES HOFMEISTERUS, Detmoldianus, *Pastor* primo apud Hannoveranos, nunc autem in vicinia istius urbis Hannoveræ ruralis Ecclesiastes dicitur esse: hic subscripsit confessioni Hannoveranæ Ecclesiæ contra Calvinum editæ.

HERMANNUS SCERERIUS, alias *Latomus*, Lemgovienſis, est minister Evangelii Detmoldiæ sedulus & fidelis.

Fuit olim in aula Comitum M. JOANNES MENSINGIUS clarus, de quo libro septimo diximus, & M. ARNOLDUS CATO, Lemgovienſis, qui primo *gubernator Scholæ fuit in patria, postea in aula Comitum Cancellarius* factus est, & deinde Paderbornam abiit, ubi mortuus est.

Sedes habet Detmoldiæ artium Mag. JONAS TUNTIUS, Hamelenſis, qui apud Comitum Bernhardum superiori anno defunctum, *Cancellarii munus* sibi usurpavit, nunc autem est Comitatus Lippiæ Consiliarius & Reverendæ Generosæque Dominiæ Hervordienſis, &c. vir eleganter doctus ac facundus, tum admirandæ magnæque memoriæ & singularis ingenii, lectionisque multijugæ, linguæ græcæ peritissimus, & in historiis & jure versatissimus. Hic olim magna cum laude professus est summa dexteritate Græcos & Latinos Autores, eosque optimos enarravit Wittenbergæ, ut ipsius lucubrationes in editis Intimationibus Scholæ Wittenbergensis præsertim in Tomo tertio extantes indicant: deinde ipſus carmen gratulatorium in honorem *Paxmanni Doctõris*, adjunctum est orationi habitæ in promotione ejusdem Doctõris Paxmanni & Gobeli, quæ edita est. Idem *Jonas* fuit informator Wittenbergæ *Christophori à Donoy* / viri nobilis, modo Satrapæ in Braeck / qui præ reliquis nostri Comitatus nobilibus scientia & cognitione linguæ latinæ maxime est hodie præditus, &c.

Fuit olim Magister quidam BERNHARDUS de LIPPIA ante annos 30. *Cancellarius in aula*, agnatus Comitum, vir doctus, sed immatura morte ereptus non sine veneni suspitione, cujus deinde cognatus alius BERNHARDUS de LIPPIA, qui nostro tempore vixit, factus est successor in officio.

#### HORNA.

Mortuus est Hornæ in pastoratu JOANNES STOLTIUS, *Cancellarius* quondam hujus Comitatus, vir suo tempore peritus: In eodem pastoratu mortuus est Magister GERHARDUS COTIUS, Alenſis, de quo libro quarto dictum est, cujus affinis HENRICUS STAPELVENEUS est Pastor in pago nostri Comitatus Beige: Nunc Hornæ pastorem agit JOHANNES WILHELMUS TORRENTINUS. AR.

ARNOLDUS SVEDERUS, Hornensis, fuit *Gymnasiarcha* Scholarum *Gotingensis*, *Hoxariensis*que & aliquando *Conrector Joannis Glandorpis*, nunc est *Pastor Vlotensis*, vir doctus & præstans: FREDERICUS SANDERUS, Consul ibidem, dicitur quarundam celebrium Scholarum alumnus fuisse. JOANNES RINTLERIUS, Consiliarius & sagacissimus peritusque Secretarius nostri Comitatus, Hornæ sedes habet, & est vir bonus, sedatus & pius.

#### UFFLENIUM.

HILLEBRANDUS GROTHUSIUS, Uffeniensis, vir doctrina & gratia spiritus eleganter instructus, scripsit & edidit quibusdam viris bonis elegantia *Epicedia Wittenbergæ*, imprimis *M. Joanni Pomfiano Rinthelensi*, viro docto & in Scholis exercitato, suæque patriæ gloria & decori. Collegit idem & disposuit per *libros tres Philippi Epigrammata* & diversa carmina, quibus editis ipse Philippus Melancthon præfatus ad *Comites Lippienses BERNHARDUM & HERMANNUM SIMONEM*, ubi Hillebrandum eruditum appellat virum & utriusque Comiti commendat: Lemgovia apud nos magna cum laude Evangelium hodie facunde docet Hillbrandus, & multas utiles conciones collegit, vir ingenio, eruditione & lectione præstans, ætate juvenis, qui adhuc in Ecclesia multa præstare poterit utiliter, & est bonus Poëta.

Uffenii pastor fidelis est JODOCUS SCUREMANNUS, atque Senator non indoctus BENEDICTUS WIPPERMANNUS, Secretarius autem sedulus CASPARUS POTTUS, quos præterire nolui.

JOANNES GESENERUS, Uffenensis, diu operam literis & juri dedit, & si vixisset in magnum virum evasisset, ut erat diligens, cujus fratruelis CONRADUS, GESENERUS, *Consul urbis Hervordienfis*, hodie patronum studiosorum agit.

#### BLOMBERGUM.

Ex hoc oppido non scio quenquam singulariter doctum esse ortum, tantum quod ibi CONRADUS MEYERUS olim, & nunc JUSTUS PIDERITUS (uterque Lemgoviensis) fideliter Evangelium doceat magna diligentia. Justus Pideritii affinis est pastor fidelis in *Engenholthusen*/ JOANNES FRUNDIUS, & vicinus Ecclesiastes in *Nepfercken*/ ANTONIUS TIDEMANNUS, vir sincerus. Blombergensis Consul JOANNES PROTUS, didicit literas in diversis Scholis, &c. GOD.

GODSCALCUS KROPIIUS, Doctor Theologus & Prior Her-  
vordienſis canobii Auguſtiniani, natus in hoc Comitatu in pago Weige/  
vir gravis & doctrina pietateque eximius, qui poſtea Evangelii concio-  
nator factus eſt, & *Superintendens Eccleſia Embeckenſis*, in qua mortuus  
eſt anno 40. in conflagratione urbis.

## LIPPJA URBS.

*Lippienſis urbis* alumnos cum ipſa urbe merito præponere debebam,  
ſed quia expectabam ipſius plures viros doctos, ita fit, ut Lippienſes  
docti inter poſtremos cenſeantur, quanquam plerique digni eſſent pri-  
mo loco.

JUSTINUS LIPPIENSIS, ſcripſit ſane ante annos fere quadrin-  
gentos, antequam illa barbaries in Germaniam ingrueret, in laudem  
illuſtrium Comitum de Lippia, librum carminum dictum: *Lippiſtorium*,  
quod dedicavit SIMONI, *Primo* ex iſtis Comitibus *Episcopo Paderbornenſi*:  
illudque *Lippiſtorium* elegantibus verſibus conſcriptum eſt, unde appa-  
ret, illum Juſtinum ſuo tempore doctiſſimum & clariſſimum, imo ipſum  
iſto ſeculo & urbi & ditioni ornamentum ſingulare fuiſſe, quia per id  
tempus nullus in Weſtphalia ex literis claruit, de quo aliqua notitia ad  
nos pervenerit. Poſſeſt igitur hoc urbi Lippienſi glorioſum eſſe, quod  
illa primum & præcipuum hominem doctum & elegantem Poëtam ex  
omnibus iſtis, de quibus notitia extet, habuerit ante aliquot ſecula, in  
Weſtphalia.

JOANNES WESTERMANNUS, Lippienſis, *Doctor Theologus*  
docuit primo Evangelium in patria, inde pulſus Monafterii docebat  
Evangelii ſinceram doctrinam, & ſe cum aliis oppoſuit Anabaptiſtis &  
Rotmanno, tandem Geiſmaria in Haſſia paſtoratum obtinuit, de quo  
*Jeannes Pollius* Poëta Weſtphalus ſic ſcribit in Epigrammatis:

Si quiſquam eſt verus veræ pietatis amator,  
Sinceroque fidem pectore ſi quis habet,  
Si cuiquam eſt ſolido vivax ſapientia corde,  
Non unquam trepidis concutienda malis,  
*Westermannus* iſt eſt Doctor, quem carmine præſtans  
Pieris Aonio non fatiſ una canit.  
Non tulit hunc nuper ſanctiſſima verba ferentem  
Lippia, Philoſophum non tulit illa pium.



Cæca quidem tanto fuerat non digna magistro,  
 Abstulit ingrata munera magna DEUS.  
 Nimirum ille pius simul & doctissimus ille,  
 Non illo in populo vivere dignus erat.  
 Ergo quod invidiæ cessit Procerumque furori,  
 Fortunæ auspiciū candidioris erat.  
 Hassica nunc tali *Gesmaria* digna Parocho,  
 Quæ petiit Domino dona ferente tulit.  
 Pastoremque suum digno veneratur honore,  
 Cujus ab eloquio cœlica verba capit, &c.

Ex his versibus apparet quantus fuerit vir Doctor *Westermannus*.  
 JOANNES NOPELIUS, Lippiensis, S. *Theologiae Licentiatus*, primo  
*Daventriae Rectorem* egit, postea reversus Coloniam factus est professor  
 artium clarissimus & disertus in Schola Laurentiana, tandem promotus  
 in Theologia cum concionari inciperet, ejusque conciones effusa  
 facundæ, elegantes & graves, electus & vocatus est, ut erat quoque in  
 illo heroica persona, in suffraganeum Coloniensem: vir certe circa  
 controversiam doctus & eloquens fuit. Nihil ab ipso editum videtur  
 tum quod illum *Petrus Canisius* in præfatione, quam Leonis I. Pape  
 operibus à se restitutis præfixit, appellet disertum Theologum & pi-  
 marium in urbe Coloniensi Concionatorem, cujus in docendo gratiam  
 cum adjuncta eruditione & autoritate amplissime celebrat. Magnus  
 hic erat Papista, mortuus Coloniae ante aliquot annos.

GERWINUS KALINUS, Lippiensis, LL. Licentiatu eximius  
 & doctus, & nunc Coloniae partim ex sua facultate, partim ex Officina  
 Typographica (quia *Quentelianam* ad se recepit officinam, ducta videtur)  
 claret etiam hodie, à quo magna expectantur.

HERMANNUS COCLÆUS, Recklinckhusianus, cum in ultimam  
 Scholæ Lippiensis, cui præfuit, Grammaticam ederet, celebravit  
*Antonium Westermannum* & *M. Andream Scartensium*, ut viros præcipuos  
 in ista urbe.

JOANNES WALTERUS, Lippiensis, Pastor in *Esprade*, descripsit  
 erudite bellum *Retbergicum*, quod is mihi aliquando, ut corrigeretur  
 misit, quanquam istud nondum sit editum.

THEODORICUS quidam LIPPIENSIS, sanctus confessor & mar-  
 tyr Christi, (de quo alias) propterea ceditur gladio in *Bevergerum*  
 quod *Osnaburgæ* citra consensum Pontificii pastoris docuisset *Evange-*  
 lium

lium jussu civium, hic vir erat simplex & pius, qui summa est isti urbi gloria, quod pro Evangelio occubuerit.

LAURENTIUS SIBELIUS, Magister, vir doctus, *Schola Lippiensis Rector, postea factus Jureconsultus & Consiliarius Comitum de Bentheim & Recklenborg*, qui est orator & causidicus, & sedes habet Lippia.

Hujus Laurentii fuit aliquando Conrector vir excellens & Doctor Eximius ANTONIUS (hoc illi nomen esse credo, alii tamen ipsum Joannem appellant) HESTERMANNUS, *nunc Professor Juris* celebris in Schola & Academia Marpurgensi, &c.

JOANNES COSTERUS, vir pius & amans veræ doctrinæ, aliquando in Evangelii initio collega (dum esset in Monasterio) Lutheri fuit, cujus filius CONRADUS CUSTOS Græce, *Philax*, & Hebraice *Scholarum*, artium magister, vir doctus & in linguis exercitatus nunc Scholæ præest.

BERNHARDUS ORESTES, Horstiensis, Conrector ejusdem Philacis, vir in græca & imprimis Hebræa lingua versatus & Doctori Chytrao propter excellentem linguarum cognitionem & doctrinam charus.

MARCUS BENNIUS, Presbyter primò & Concionator, deinde factus causidicus & rabula forensis, potest viris claris hujus urbis annumerari propter eloquium, consilia & sagacitatem aliaque dona, quibus valuit.

TEMHARDUS NAGELIUS, de quo libro septimo, & ENGELBERTUS COPIUS, de quo libro quarto dictum est, non sine laude ibi Scholam administrarunt, ut sunt viri eruditi.

HENRICUS SARTORIUS, Bileveldianus, cum aliis, quorum nomina mihi ignota sunt, ibi Evangelium ore facundo feliciter docet.

GERHARDUS Pagenhovet / (cujus pater Consul fuit) Quæstor ærarii urbis est, vir in jure exercitatus & eruditus, qui ad majora ascendet, &c.

Plura volente DEO de celebritate & aliis præstantibus viris nostri Comitatus alio loco dicam. Nam aliquot ministros & Satrapas suo loco referam. Si autem in hac relatione quosdam præteriissem ex ignorantia, quoniam neminem volui laude sua privare, id precor mihi ignosci: tamen cupio & reverenter peto ab omnibus, ut mihi hujusmodi doctos viros à me ignoranter præteritos, pro sua pietate indicare dignentur, ut aliis sequentibus inserantur libris.

URBIS HUXARIENSIS viri clari & doctrina  
illustres, &c.

**M**ARTINUS BOGERUS, Huxariensis, Doctor Theologiæ Erphurdienſis, magnus, multa poſt ſe reliquit in ſacra Theologia ſui ingenii monumenta, quæ hæcenus typis non ſunt evulgata.

Magiſter **CONDADUS WITTENHENNIUS**, Huxarienſis, S. Theologiæ Licentiatus, Profeſſor Erphurdienſis in collegio ab Rotæ ac multorum ſtudioſorum præceptor eximius, claruit in iſta Academia celebriter.

**M. HENRICUS HERBOLDUS**, Huxarienſis, S. Theologiæ Licentiatus, quem prædictus Dominus Conradus nutrit, in collegium vocavit & ſucceſſorem habuit, qui etiam ibidem per multos annos claruit ex prælectionibus Theologiæ ac artium, imprimis autem Aſtronomiæ.

**HENRICUS COTIUS**, Huxarienſis, Juris Canonici excellentiſſimus Doctor, ac Erphurdienſis Profeſſor primo, deinde Decanus Eccleſiæ collegiatæ Erphurdienſis.

Magiſter **JOANNES GROVENIUS**, Huxarienſis, Græcæ linguæ peritiſſimus, ac Profeſſor Theologus in Schola Erphurdienſi, ubi etiam collega & Profeſſor erat in collegio Portæ Cœli, neſcio an hic promotionem in Theologica facultate habuerit.

**REMBERTUS REMBERTINUS**, Huxarienſis, Juris Licentiatus ac Syndicus Erphurdianus eximius, & poſtea Canonicus Eccleſiæ Sancti Petri, qui duo Tempa Huxariæ in gratiam patriæ extruxit, & Bibliothecam erexit ibidem.

Magiſter **JOANNES ROBERTUS**, Profeſſor Erphurdienſis, qui in multis etiam locis clariffime profeſſus eſt bonas literas, atque multorum eximiorum & doctorum virorum Præceptor per multos annos fuit, tandem Canonicus Erphurdienſis ad Sanctum Severinum factus eſt.

Magiſter **HENNINGIUS LAMBERTUS**, Huxarienſis, Eccleſiæ Severini Erphurdienſis Vicarius, & Concionator ibidem in æde Laurentiana.

Magiſter **VITUS CANCER**, Huxarienſis, Eccleſiæ Mariæ Vicarius, homo doctus & pius, atque in diverſis locis concionator fuit.

Magiſter **HENRICUS ALBERTUS**, Huxarienſis, Hebrææ linguæ peritus, & plurimis in locis gubernator juventutis optimus fuit, qui

adhuc multorum nobilium adolescentulorum informator esse dicitur.

Magister JOANNES CAPITIUS, Physicus & Canonicus in Schola & urbe Erphurdiensi.

Magister JOANNES SIFFRIDUS, Theologus, qui primo & professor & concionatus est Wittenbergæ ( quia erat Diaconus Ecclesiæ Wittenbergensis ) deinde Brandenburgensis Ecclesiæ celebris est Superintendens factus, cujus ex fratre nepos ejusdem nominis JOANNES SIFFRIDUS fuit Huxariæ concionator Evangelii sincerus ad D. Petrum, nunc vero est Diaconus & collega sui Soceri, viri clariff. M. RODOLPHI MOLLERI, Decani & Superintendentis in Ecclesia Hamelensi.

Magister CYRIACUS LUPUS, homo ingenio & moribus conspicuus.

Magister CONRADUS COTIUS, in aula Henrici Ducis Brunswicensis Concionator.

Magister CONRADUS MUGGIUS, primo *Luida*, deinde *Huxaria* Concionator extitit.

Magister ARNOLDUS ROBERTUS, doctus concionator Evangelii in urbe *Mündensi* est.

Magister VITUS BUSCHERUS, Huxariensis, vir in linguis præsertim græca & Hebræa versatus ac eruditus, nunc Hannoveræ gubernatorem celebrem agit Scholæ.

Multi docti adolescentes Huxariæ nati, ut audio adhuc in Academiis Marpurgensi & Erphurdiensi versantur, operam facultatibus ac studiis dantes fidelem, de quibus optima spes est.

His omnibus præponi merito debebat Huxariensis urbis Princeps hoc tempore amplissimus & reverendus D. Antistes liberi & Imperialis Monasterii Corbiensis D. REINERUS à *Boicholt* / Heros ac Princeps ingenio, eruditione & erga studiosos omnes summa benevolentia ac clementia præditus, qui latine eleganter loquitur & scribit; in cujus Regali & libero Monasterio Prior est magni illius CONRADI GOCLENII ( qui lumen erat Academia Lovaniensis & Erasmi Roterodami deliciæ ) nepos ex fratre JOANNES GOCLENIUS.

JOANNES GEISMARIUS, dictus *Grovingius*, Senator Huxariensis, collegit catalogum Antistitum & Abbatum exempti, liberi & Imperialis Monasterii Corbiensis, quem propediem dabit, & is prædictorum Huxariensium virorum doctorum catalogum mihi communicavit.

Concionatores Evangelii nullos Huxariensis Ecclesiæ novi, nisi

venerandum & doctum virum, D. BERNHARDUM LUDERUM de quo libro 5. virorum doctrina illustrium dictum est, & deinde Doct. NICOLAUM ERBENIUM, qui nuper Confutationem magicæ consecrationis & ejus quod dicitur de præstigiis dæmonum libellum utilem scripsit, virum facundum & sedulum.

Plures ex Huxariensibus non habeo : quos præterto ignorantes, illos mihi à bonis indicari peto, ut alibi suum consequantur locum.

*Lectori S.*

Etsi dixerim, me volente Christo alibi de celebritate & laude Comitatus urbisque nostræ scripturum acturumque, & tunc quidem commode posset præteritorum mentio fieri & illud resarciri, quod hic negligere tur; tamen cum hic tantum spatii relinquatur, nolui præterire duos Consules hujus urbis mihi tum demum, cum esset excusa præfatio, & liber sextus ferme completus, indicatos, quorum pietas (ut audio) in urbem Lemgoviensem, & studium consiliumque conspicuum atque probatum majoribus nostris fuerat. Sunt autem istorum nomina hæc: WILHELMUS KRANCUS & JOANNES MILENTROPIUS, qui viri graves, præstantes & strenui suo tempore fuerant & multa non sine periculo in gratiam patriæ fecerant celebriter. Hæres eorum bonorum, quorum *Krancus* ille possessor fuerat, nunc est HERMANNUS CORBEJUS, patricius & Senator Lemgovienensis egregius.

Hoc quoque admonere lectorem volui, me appellasse quidem in præfatione LUDOLPHUM Grothen / Mag. Joannis Grothen fratrem, præsidem & Tribunum plebis summum apud Osnaburgenses, verum quia nunc ex ista dignitate translatus est ad munus Senatorium, Ludolphus Grothen / quod me tunc, cum ista scriberem latebat, volui hoc indicare lectori, ne existimaret, me studio vel malitia lapsum esse, vel me tantum virum velle privare sua dignitate nova, postquam mihi sit patronus & fautor idem D. Ludolphus Grothen / Senator Osnaburgensis cum suo cognato HENRICO CATHEMANNO, quoque, Senatore & Quæstore ararii Neopolitano egregio apud Inclytam Osnaburgam præcipuus.